BIB. COLL.
PICTAV. S. J.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/unknown0000vari_l3s7

PRAXIS ET DECLARATIO

EXERCITIORUM

S. IGNATII.

PRAXIS

ET BREVIS DECLARATIO

VIÆ SPIRITUALIS,

PROUT EAM NOS DOCET

S. P. N. IGNATIUS

IN QUATUOR SEPTIMANIS LIBELLI SUI

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM;

Auctore R. P. LUDOVICO DE PALMA Toletano,
Societatis JESU.

Ex Hispanico vertit R. P. JACOBUS DICK ejusdem Societatis.

ALMA COLLEGE
060.3
LIBRARY
P182
Alma California

AVENIONE,
EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI SEGUIN.
M. DCCC. XXXV.

42981

ADMODUM REVERENDO

PATRI IN CHRISTO

P. MUTIO VITELLESCO

PRÆPOSITO GENERALI SOCIETATIS JESU.

Brevis hic Tractatus, qui jam in lucem prodit, paucis praxim et declarationem quatuor Hebdomadarum Exercitiorum spiritualium continens, pars est primi mei Tomi, quem superioribus annis de eâdem materiâ publicavi. Et quia dicto meo Tomo integrum Exercitiorum spiritualium Libellum complecti non potui, quippe qui vix aliud quàm viginti Annotationes in eo explicaverim; operæ pretium me facturum judicabam, si brevem ei hunc Tractatum jungerem, pro solatio subsidioque præcipuè nostrorum Patrum et Fratrum, diebus illis, quibus annuè per hæc Exercitia spiritûs se recollectioni dare consueverunt. Hinc quatuor illas Exercitiorum Hebdomadas, pro octo illis diebus, in octo Meditationes, ex earum Hebdomadarum materiâ sumptas, et in totidem Praxes vel Institutiones distribui, quibus fructus qui ex Exercitiis hauriendus est, et modus in eorum decursu servandus

declaratur. Distuli verò tunc Libelli hujus editionem, quòd putarem intra paucos dies me totum Opus absoluturum, eodem scribendi stylo, quo inceperam; et eâdem operâ fusiùs materias illas, quæ se necessariò erant oblaturæ, tractaturum. Sed cùm hoc postmodum bonæ valetudinis defectus, et variæ ab obedientiâ occupationes non permitterent; urserunt me varii ad Libelli hujus, qui jam scriptus multorum manibus terebatur, et legitimè probatus erat, evulgationem; judicantes æquum esse, ut fructus ille, quem ipsi inde retulerant, atque in sese fuerant experti, in omnes redundaret. Hæc est brevis illa summa, et exiguus Libellus, quem modò, pedibus R. P. V. advolutus, eidem offero; humillimè supplicans, ut huic meæ audaciæ veniam dare dignetur, quam peperit desiderium efficiendi, ut omnibus innotescat thesaurus, quem Deus parvo illo Exercitiorum Libello nobis communicavit. Deus R. P. V. ita conservet, prout tota nostra Religio ejus operâ indiget. Madriti, XII. Martii M. DC. XXIX.

LUD. DE PALMA.

AD PATRES ET FRATRES

SOCIETATIS JESU

PROLOGUS.

CUM *mihi omnino persuadeam, præclaras illas et solidas virtutes, rerumque spiritualium intelligentiam et lucem, quâ S. P. N.* IGNATIUS, *et primi illi Patres qui hanc nostram Religionem fundarunt, nobis præluxerunt, à Deo Domino nostro illis per Exercitia illa spiritualia, quæ primo Parenti et Fundatori inspiravit, fuisse communicata; et etiam planè existimem, quòd per eadem Exercitia, idem Dominus, eorum successoribus spiritum eumdem et perfectionem sit communicaturus, quòdque luce hâc extinctâ in tenebris simus victuri, et capillis his, qui pauci et debiles apparent, abrasis, absque viribus simus remansuri, futurique sicut reliqui hominum: nullus miretur, quòd à multis retrò annis maximum mihi Deus desiderium injecerit, Patribus Fratribusque meis charissimis sensum animi mei circa hæc Exercitia communicandi; non quòd ego me illa comprehendisse existimem, sed ut alios,*

quibus majorem Deus lucem communicavit, excitem, quò majorem ex iis fructum colligant, et pretiosissimum hunc adamantem poliant: qui si lapis tantùm ordinarius esset, parvi pretii foret; verùm, ut lapis tam pretiosus, inæstimabilis est valoris. Hunc in finem annis superioribus primum meum Tomum Viæ spiritualis, quam S. Pater noster in suo Exercitiorum Libello nobis detexit, in lucem edidi. Porrò tota hæc Via in tres partes dividitur, quæ vulgò vocantur Purgativa, Illuminativa, et Unitiva, propriæ Incipientibus, Proficientibus, et Perfectis; et accuratè docet, quomodo per eas incedendum sit. Declaratur etiam, quales esse debeant, quibusque donis ornati, tam Magister et Pater spiritualis qui Exercitia traditurus, quàm qui ea facturus est; et quâ mensurâ ea singulis pro cujusque capacitate et dispositione tradenda sint. Dicitur item, quanti referat ea per quatuor Hebdomadas facere; quantusque inde fructus emanarit, non minùs in seculares quàm in Religiosos, et peculiariter sub fundatione nostræ SOCIETATIS, *in primos eos Patres qui eam fundarunt, illustrarunt, et in eo, in quo eam hodie videmus, statu collocarunt. Tandem in isto primo meo Tomo tanquam fundamentum posui theoriam Li-*

belli dicti Exercitiorum, finemque quem in iis quærere debemus, et ejus, tam qui ea facit, quàm qui ea facientem dirigit, officium : et illud est, prout ibi diximus, quod viginti primis ejus Libelli Annotationibus comprehenditur. Præterea conati sumus, omnium eorum locorum quæ ibi ex Exercitiorum Libello citantur, dare rationem, totamque eam doctrinam ad sua reducere principia; nobis ob oculos ponentes, quod S. Pater noster commendat in p. 4. Constitut. cap. 8. Ad Exercitia spiritualia aliis tradenda, postquam quisque in se ea fuerit expertus, assuescant; et dent operam omnes, ut et eorum reddere rationem, et in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratiâ ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere possint; *eo modo*, ut non solùm aliis satisfiat *(sicut in Declar. dicitur litterâ E.)* sed etiam, ut illis desiderium excitetur, ut eisdem juvari velint. *Unde facilè constat, quòd ea doctrina, quæ ad dandam Exercitiorum rationem dirigitur, et ad ea facienda animos addit, non tam sit pro discipulo qui ea facit, quàm pro magistro qui ea tradit; nec tam pro eo qui viam illam init, quàm qui in eâ se aliis ducem præbet.*

Hæc una ex causis nec minima est, quæ doctrinam primi mei Tomi difficilem multis et obscuram reddidit. Quia si, ut Exercitia integra fiant, Auctor desideret ut non dentur nisi paucis et magnæ capacitatis personis; quæ, quæso, sufficiet capacitas, ut quis in eâ viâ dux et magister sit? Adde, quòd primus ille Tomus sit tanquam præambulum et prologus secundi et tertii; quibus totæ quatuor Hebdomadæ, et Regulæ eas sequentes, eodem quo illæ scriptæ sunt ordine declarari debebunt. Quod si perfici potuisset, omnes illi Tractatus sibi invicem lucem dedissent: verùm infirma mea valetudo, et graves occupationes, hactenus id perficere, finemque imponere prohibuerunt. Hincque mirum non est, quòd multis ea sint obscura, et perpauci fructum ex iis optatum referant; cùm opus tantùm inchoatum sit, velut ædificium necdum ad finem perductum. Cui rei unicum superest remedium: facienda nempe totius ædificii delineatio, ex quâ in exiguâ tabulâ vel chartâ descriptâ, tota mox facillimè fabrica concipitur; atque inde id quod inchoatum est (quod per se intelligi nequibat) et quod exstruendum superest, tanquam ex ideâ cognoscitur. Hoc idem nobis usuvenit in subjectâ ma-

teriâ remedium : describenda paucis totius ædificii spiritualis idea , à principio seu fundamento , usque ad summum perfectionis viæ unitivæ : ut ex eâ intelligatur , quæ fuerit in ædificando mens Auctoris ; et insuper sciatur , quid scriptioni adhuc desit , et quid circa Librum hunc Exercitiorum jam scriptum sit. Hujus occasionem dedit nobis Decretum unum sextæ Congregationis generalis , et aliud septimæ , quo Nostris præcipitur , ut singulis annis per octo dies se colligant , et Exercitia faciant. Decretum septimæ Congregationis sic habet : Detur opera , ut annua Exercitia spiritualia nono Canone sextæ Congregationis præscripta , exactè ab omnibus fiant , omni omnino excusatione et occupatione sepositâ ac superatâ , ita ut neque negotiis , neque Confessionibus eo tempore distineantur ; servatâ etiam in illis proportione methodoque , quibus integra Exercitia fieri consueverunt , præsertim quoad recessum ab omnibus. *Consideranda valdè hæc verba ,* Servatâ etiam in illis proportione methodoque , quibus integra Exercitia fieri consueverunt. *Et legatur quod scripsimus in* 4. *lib. Tomi primi à c.* 26. *usque ad* 30. *de eo , quanti referat , Exercitia facere quatuor Hebdomadis simul , et per omnes*

modos se exercendi discurrere, omniaque dictamina et proposita quæ iis continentur exprimere. In quem finem licèt Incipientes facilè egeant triginta ferè diebus, ut dicitur in Annotat. quartâ inter viginti primas; magìs tamen exercitati facilè totum octo vel decem dierum spatio absolvent. Quare, pro Nostrorum solatio, superioribus annis totam quatuor Septimanarum materiem in octo Exercitiorum dies, vel, ut meliùs dicam, in totidem redegi Exercitia et instructiones, quibus totum Libelli argumentum et scopus comprehenditur; cum brevi declaratione omnium modorum se in iis exercendi, octo Meditationibus ex totâ quatuor Hebdomadarum materiâ desumptis. Hanc ego tum summam, quæ cum primo meo Tomo imprimeretur, (quod tamen tum ob causas omissum fuit) paratam habebam; eaque est quæ in hoc Libello prodit, quæ, velut manuale quoddam, octo illis Exercitiorum diebus, quæ quotannis fiunt, ad manum sit; sitque tanquam clavis, quæ ostium, ad Libri istius Exercitiorum doctrinæque in eo contentæ intelligentiam, aperiat. Hoc ego donum Patribus Fratribusque meis carissimis offero, rogans, ut eodem quo ego do affectu, illud acceptare dignentur: et ne nobis sufficiat Exercitiorum tempus Librorum

devotorum lectioni et piis aliquibus Meditationibus impendere, (quod licèt bonum sit et utile, parùm tamen facit ad id quod S. Pater noster à nobis exigit,) reducamus in memoriam, quòd hæc Exercitia fiant, ut vincere seipsum, et omnes à se inordinatos affectus removere quis possit; et ut iis liberatus, divinam voluntatem in vitæ suæ dispositione, absque aliquâ determinatione ex affectu qui ordinatus non sit, quærat inveniatque, et divinæ bonitati propter seipsam, non solùm circa vitæ suæ statum, verùm etiam circa res omnes particulares, placere studeat. Quæ omnia monet S. Pater in 1. *Annotat. et in titulo Libri, et in p.* 3. *Constitut. Et illa Exercitia, ut quis se vincat, et affectibus inordinatis se liberet, Deique voluntatem circa vitæ suæ statum quem electurus est, et in aliis actionibus particularibus quærat inveniatque, præcipua sunt secundæ Septimanæ Exercitia, ad quæ ea, quæ primæ sunt Septimanæ, disponunt, viresque et robur addunt iis quæ sunt tertiæ et quartæ.*

Quare humiliter instanterque rogo Reverentias vestras per viscera Jesu Christi, per desiderium quod divina Majestas habet spiritualis nostri profectûs; per amorem quo Religioni nostræ obligamur; per sol-

licitudinem et curam spiritûs, quo fundata est, conservandi; per zelum animarum quem Deus cordibus nostris, ut ultimum nostrum finem consequamur, impressit; per omnem quem S. Patri nostro debemus affectum et reverentiam; ut omnes seriò in hoc studium incumbamus, quò, omnibus difficultatibus generosè superatis, hæc Exercitia bene intelligamus, et in iis nos exerceamus. Eorum enim scientiam solo studio et speculatione non consequemur, si re ipsâ et exercitio eorum vim et efficaciam in nobis ipsis non experiamur: nec experiemur, nisi vivaciter, et magno perfectionis nostræ zelo ad ea exercenda nos disponamus; idque summâ et forti quidvis etiam tentandi resolutione, quò eam consequamur: aggrediendo nempe ea Exercitia magno animo atque liberali, ut quivis totum studium ac arbitrium suum offerat suo Creatori, ut de se suisque omnibus id statuat, in quo ipsi potissimùm servire possit juxta ejusdem beneplacitum. Monita sunt hæc S. Patris in Annotatione quinta inter viginti primas. Timeamus (quod evenire solet) ne desidia nostra, et nobis ipsis bellum inferendi metus tepiditasque, nobis oculos claudant, et abducant ab illis Exercitiis, quæ ad illam nos pugnam obligant, et

plurimùm ad victoriam conferunt, et ne eorum efficaciam in nobis ipsis non percipientes, nobis persuadeamus, nihil eis inesse boni, sicque ad tepidas aliquas Meditationes et lenta ac flaccida Exercitia, quæ infirmi spiritûs, et affectuum inordinatorum plenissimi, propria sunt, reducamur. Persuadeamus nobis, quòd aggredi hæc Exercitia, perinde sit atque dare operam, ut originem radicesque imperfectionum nostrarum cognoscamus; et quærere efficax iis curandis remedium, viresque ad obsequendum divinæ voluntati. Quare toti ad eorum intelligentiam incumbamus, ut ea exerceamus; totique ad exercenda, ut intelligamus: quò, cum divinâ gratiâ, lucis, solidique, qui in iis latet, spiritûs thesauro fruamur.

Nemo autem me vanum Exercitiorum horum laudatorem reputet, quodque supra valorem eadem mercimonia velim vendere, quandoquidem ipse S. Pater noster (cujus humilitas et rara modestia nulli non nota est) suæ ad M. Miona Epistolæ de iis Exercitiis gravissimam hanc inserat sententiam: Magnopere aveo cognoscere quemadmodum tibi res successerit; neque id sanè mirum, cùm tantum tibi in re pietatis, nempe ut parenti filius, debeam. Cujus etiam egregio amori, tamque pro-

lixæ voluntati, quam in me habuisti semper, ac re ipsâ comprobasti, ut responderem, atque in hac vitâ aliquam gratiæ partem referrem, rogavi te ut ad mensem Exercitia susciperes sub eo quem nominavi; atque adeò facturum te recepisti. Precor igitur ad majus Dei obsequium, si expertus es, ac probasti, ad me perscribas; sin autem expertus nondum es, per ejusdem amorem et reverentiam, et mortem acerbissimam, quam causâ nostrâ obiit, peto quæsoque, ut in ea te des. Tum verò si te facti pœnituerit, præterquam quòd pœnam nullam recuso, me vanum et irrisorem habeas, et quidem eorum, quibus tantùm debeo. *Et infrà*: Iterum atque iterum, ac quoties valeo, ob Dei obsequium id ipsum flagito, ne ad ultimum divina Majestas requirat ex me quòd non urserim, neque cunctis meis viribus postularim id quod in hâc vitâ equidem possum sentire et excogitare optimum, tum ut homo sibi ipsi, tum ut aliis prosit quàm plurimis, etc. *Quæ verba sunt S. Patris nostri : quæ sola ad Exercitiorum commendationem sufficiunt.*

EXHORTATIO

PRO EXERCITIORUM COMMENDATIONE.

Spiritu ambulate. *Ad Gal.* v. 16.

Locus hic, in quo versamur, exercitium requirit. Et sicut corpora, quæ nec ambulant, nec aliud exercitium faciunt, infirma sunt, plurimosque gignunt malos humores; ita spiritus qui se non exercet, infirmus sit necesse est: atque ideò Apostolus, tanquam præclarus Medicus, dicit: Spiritu ambulate.

Experientiâ constat, corpora nostra pluribus infirmitatibus esse obnoxia: eadem nos docet, spiritum suis morbis non carere, propter varias quibus subjacet mutationes. Exemplum sit. Deserto quis seculo Religioni se consecrat; paucis ille pòst diebus, in Novitiatu ita se mutatum miratur, ut se non noverit; ad eum in oratione fervorem pervenit, tam ad omnem mortificationem animatum se, ita contemnentem honoris, et de sui contemptu lætum, paupertatisque amantem se animadvertit, ut nunquam se in ullo honore rerumque abundantiâ et mundi libertate, simili gaudio perfusum fuisse meminerit, ut sibi videa-

tur cum omni gratiarum actione dicere posse : Qui sanat omnes infirmitates meas. *Translatus postmodùm ex amœno Novitiatûs viridario ad studia, aliaque* SOCIETATIS *ministeria et exteriores occupationes, paulatim se (causam ignorans) persentiscit tepidum in oratione, effusum in sensibus, in honore vivum, suarum commoditatum ambientem, in recreationes corporisque commoda fœdè propensum, querulum, ambitiosum, functionum et officiorum honorificorum cupidum, se suaque ex politicâ et humanâ lege et terrenâ sapientiâ gubernantem, quique omnem suam quietem sitam habet in Superioris erga se benevolentiâ; et cui solus ille arridet Superior, qui non imperat, sed rogat; et ut roget, priùs eum consulit, et petit :* Quid tibi vis faciam? *Certum est, quòd spiritus ille infirmus sit, quia cum inquietudine et dolore vivit, seque ad Exercitia motumque spiritualem, et ad omnes honestas occupationes valdè indispositum sentit. Causa hujus infirmitatis clara est; quia ita seculum deseruit, ut inordinatos suos affectus nondum mortificarit : qui, quia vivi sunt, pascuntur reculis quibusdam seculi; quæ in Religione etiam sunt, et sine quibus vita hæc non vivitur. Quod bene Cassian. Collat. 4. Abbatis Danielis,*

cap. 21. Jam illud ridiculum qualiter exprimetur, quod nonnullos post illum primæ renuntiationis ardorem, quo vel res familiares, vel opes plurimas ac militiam seculi relinquentes, semetipsos ad Monasteria contulerunt, tanto cernimus studio in his quæ penitùs abscindi non possunt, et quæ nequeunt in hoc ordine non haberi (quamvis parva viliaque sint) esse devinctos, ut horum cura pristinarum omnium facultatum superet passionem? Quibus profectò non magni proderit, majores opes ac substantias contempsisse; quia affectus earum, ob quos illæ contemnendæ sunt, in res parvas atque exiguas transtulerunt. *Et postquam hanc materiam fusè prosecutus est, concludit sic*: Quid enim differt, utrùm quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species? nisi quòd in eo reprehensibilior judicandus est, quòd qui maxima spreverit, minimis obligetur? Ideoque perfectionem cordis abrenuntiatio ista non obtinet, quia cùm censum habeat pauperis, non abjicit divitis voluntatem. *Hanc autem voluntatem sequuntur distractiones, curæ, timores, prætensiones, concupiscentiæ, et reliquæ, quæ hujus mundi bona comitantur, spinæ. Et qui vestes amat Naaman, leprâ*

inficiatur necesse est; et corpore inter Religiosos præsens, spiritu se extra illos inveniat: quia in Religione quærit quod in mundo seculares, et quod Regulæ, professioni Religiosæ, Christi Domini nostri doctrinæ, ejusque exemplis contrarium est.

Hinc sequitur, duo esse Religiosorum genera. Aliqui enim corpore tantùm tales sunt, qui veste et externâ rerum omnium observantiâ, quæ sunt quasi exercitia corporalia Religionis, contenti sunt: alii verò etiam spiritu, qui de oratione, de passionum mortificatione et in virtutibus profectu tractant, quæ sunt velut anima et spiritualia Religionis exercitia. De quo pulchrè sanctus Bonaventura de reformatione spiritûs, quòd nempe duplicis generis inveniantur Novitii, istis verbis: Ideò quandiu Religiosus nondum cupit intelligere et sapere ea quæ sunt Spiritûs Dei, sed in exterioribus observantiis adhuc putat totum constare quod ad veram Religionem pertinet, Novitius est, si etiam pluribus annis in habitu Religionis steterit. Et hos perpende duos esse Novitiatus in Religione: unus ad probationem, qui terminatur quando promittit obedientiam et stabilitatem in Ordine per verba; alter durat quousque Religiosus statum benè vivendi ita in consuetudinem convertit, quòd jam

non solùm verbis, sed etiam factis promittat, se stabilem in fide, Ordine, et profitendi studio permansurum. *Si autem duplex sit Novitiatus, sicut bene Sanctus ille notat, sequitur quòd duplex etiam debeat esse vocatio; una ad habitum, altera ad profectum spiritualem, quando aliquem pudet solum habitum Religionis gestare, Religionis verò spiritu destitutum esse; atque ideo de verâ passionum suarum mortificatione, et studio in veris virtutibus proficiendi agit. Et ista secunda vocatio idem est atque ad Exercitium spirituale vocatum esse, et ad viam spiritûs sequendam: quia, ut Apostolus ait, non possunt superari desideria carnis, si in spiritûs viâ non ambulatur.* Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.

S. Pater noster in Annotatione primâ, declarans quid sint Exercitia spiritualia, dicit: Sicut deambulare, iter facere, et currere, exercitia sunt corporalia; ita quoque præparare et disponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, et, iis sublatis, ad quærendam et inveniendam voluntatem Dei, circa vitæ suæ institutionem, et salutem animæ, Exercitia vocantur spiritualia. *Via illa quâ ambulandum, eundum et currendum est, à nobis incipit, atque in Deo finitur; hoc*

est à noxiis nostris affectibus procedit ad voluntatem divinam ; atque hoc est abire à se, ut propior fias Deo, et desertis cupiditatibus inordinatis, Dei expleas voluntatem, ne sis de numero Religiosorum tepidorum, de quibus Cassianus, qui solo mundum corpore deserunt : quare inordinata spiritûs desideria, ut salutem animæ spiritualem assequaris, comprimes.

Hanc viam spiritualem S. Pater noster in suo Exercitiorum Libello in quatuor Hebdomadas distribuit ; quæ sunt quasi quatuor profectiones, quarum omnes passus sunt hi.

Primus est, odium et dolòr peccatorum, quod est avelli à malâ vitâ. Non sine ratione dicitur avulsio : quia itinerum difficillimum est, de domo suâ exire, eamque deserere. Et hoc in primâ Septimanâ quæritur.

Secundus passus est, mortificatio passionum, proprio amori, sensuali et mundano bellum indicendo, ad imitationem Christi Domini nostri : quod initio secundæ Septimanæ in Meditatione Regis temporalis nobis proponitur.

Tertius est, Exercitium virtutum, secundùm doctrinam sancti Evangelii, præcipuè paupertatis, contemptus honoris, et humilitatis cordis : quod prætenditur in Exercitio de duobus Vexillis.

Quartus, non tantùm amare paupertatem et humilitatem, sed esse dispositum ad reipsâ deserendas divitias temporales; et ad omnem egestatem et humiliationem, prout intelligemus id ad Dei gloriam et obsequium fore, paratum se exhibere, cum firmo proposito nihil quærendi, quod non sit ad obsequium Dei Domini nostri: ita ut solo desiderio Deo Domino nostro meliùs serviendi, ad quidquam amplectendum vel rejiciendum moveamur, ut dicitur in Exercitio de tribus hominum Classibus.

Quintus, quòd, etiam si laus Dei par foret, tamen, ad majorem Christi imitationem, eligam potiùs cum eo paupere, spreto et illuso, pauperiem, contemptum et insipientiæ titulum, quàm opes, honores aut sapientiæ æstimationem amplecti, prout dicitur in tertio gradu Humilitatis. Hi verò omnes passus ad secundam Septimanam pertinent. Ut autem ad hunc perfectionis gradum in viâ spirituali tam pretiosum perveniamus, et in eo nos magìs magìsque confirmemus et roboremus, duo maximè juvabunt. Primò, si nos in Meditatione de Passione Christi Domini nostri exerceamus; in quâ perfectissima heroicarum virtutum exempla videre licet, cum summâ contradictione ac pugnâ exercita-

rum à Christo Domino virtutum : qui, ut faceret voluntatem Patris, omnibus se difficultatibus, quasvis à se mundi delicias rejiciendo, generosè opposuit. De hoc agitur in tertiâ Septimanâ.

Secundò, multùm juvabit, solatio spirituali haud leviter delectari, quod est Beatorum gaudia prægustare : hoc enim omnem omnino rerum creatarum gustum saporemque tollit, sensusque torpere facit, ut in difficultatibus et adversis non moveantur; sed fortiter in caritate, à quâ perfectè oriuntur virtutes, se exerceant. Hoc est totum illud spirituale iter, præcipuique in eo passus, quibus nobis progrediendum singulis Septimanis, singulisque Meditationibus, laborando, ut in nobis propositum illud, quod in iis prætenditur, excitetur; ut bene notat S. Pater noster in undecimâ Annotatione inter viginti primas, cujus pòst faciemus mentionem.

Advertendum, quòd in primâ Annotatione S. Pater noster bene annotarit tres gradus Exercitii spiritualis, ad similitudinem corporalis, qui sunt, ambulare, proficisci, et currere. Ille ambulat, qui intra spatium limitatum vadit et venit, nec ulteriùs progreditur : et ii sunt qui quotidie orationem faciunt, conscientiam examinant, librum spiritualem legunt, Sacra-

menta frequentant; et tamen iisdem semper manent irretiti passionibus, nec se post multum temporis plùs profecisse vident quàm primo die. Ratio est, quia vadunt et veniunt, et bonis suis desideriis et propositis ita à se exeunt, ut, cùm laborandum est, ad se redeant. Plus à nobis exigit Apostolus, cùm dicit, Spiritu ambulate; *quia longam ille commendat viam, ut nempe à se recedentes, Deo appropinquent, suamque voluntatem deserant, ut divinæ perfectè obediant. Porrò non tantùm monet ut in illâ viâ ambulemus, sed curramus, ut alibi dicit:* Sic currite, ut comprehendatis. *Et ille currit, qui toto impetu suæ voluntatis Dei voluntatem scire desiderat, ut illam, proprio suo sensu pedibus substrato, perfectè compleat. Vide Basilium in Regulis brevioribus Interrogat.* 259. Quis est fervens spiritu? Qui cum ardenti studio, et inexplebili cupiditate, et assiduâ diligentiâ voluntatem Dei facit in charitate Christi Jesu Domini nostri: convenienter illi quod scriptum est, In mandatis ejus volet nimis. *Et ille est gradus perfectionis, quò Exercitia diriguntur.*

Hinc patet, quòd licèt multi sint qui ad orationis perfectionem anhelant, eique per hæc nostra Exercitia insistunt, pauci tamen eam perfectè adipiscantur: quia

hìc ego tres gradus triaque genera hominum invenio. Aliqui dicunt, se hanc orationem obtinere per Exercitia; quia versantur circa eamdem materiam eademque puncta, eâdem divisione et ordine servato qui Libello Exercitiorum comprehenditur: quod illo in genere tam exiguum est, ut si ulteriùs non colliment, dici non possint, orationem per Exercitia obtinuisse. Alii sunt, qui ad sublimiorem gradum nituntur; quia non tantùm de eâdem materiâ meditantur, verùm etiam in meditandi et se examinandi modo, eas leges, conditiones et instructiones, quas Liber hic Exercitiorum præscribit, accuratè servant. Alii ulteriùs progrediuntur; quia, præterquàm quòd prædicta servent, animæ suæ insuper eadem proposita et conclusiones imprimere student, idque eo ordine iisdemque mediis, quæ S. Pater noster docet Libello isto. Et hi sunt qui finem à S. Patre nostro propositum plenè consequuntur: atque hæc est causa, ob quam dixit, integra illa Exercitia non posse dari nisi paucis, iisque valdè capacibus personis, quique summo perfectionis desiderio tenerentur. Non ratione materiæ; quia omnes utiliter se in Meditationibus de Vitâ, Morte et Passione Christi Domini exercere possunt: nec ratione formæ seu modi orandi circa tres potentias; quod fiebat in primâ Septimanâ.

Quæ ergo causa erit, quòd S. Pater noster in Parte 4. Constit. c. 8. litterâ C. et in 7. c. 4. litterâ F. dicens, quòd Exercitia primæ Hebdomadæ generaliter multis dari possint, addat Exercitia secundæ Septimanæ, et integra non debere nec posse dari nisi paucis personis, et iis à quibus magnus ad Dei gloriam fructus sperari possit? Clarum est, quòd hoc dicat propter ea proposita et dictamina quæ in secundâ Septimanâ exiguntur in electione faciendâ, ut quisque se in suo statu reformet: et propter illos charitatis tam sublimes et perfectos gradus, qui in quartâ Septimanâ requiruntur, et magnam supponunt ingenii capacitatem; bonam dispositionem, firmamque se in iis cum fructu exercendi voluntatem.

Ex quo sequitur, quòd ille solus perfectè Exercitia hæc faciet, qui modum orandi servans, qui in Libello proponitur, circa materiam et puncta quæ ibi proponuntur, bona illa desideria et conclusiones eodem comprehensa in se excitare conabitur. Tandem, quomodocunque nos Religiosi SOCIETATIS *Exercitia faciamus, cùm non tantùm pro spirituali nostro profectu, sed et ut ea aliis tradere possimus, et Magistri in hac arte evadamus; clarum est, quòd nobis sufficere non debeat, quòd et intelli-*

gamus, et frigidè nos in iis exerceamus, sed hoc faciendum cum summâ perfectione. Quomodo enim eorum rationem reddemus, si ea perfectè non intelligamus? et quomodo per viam nobis ignotam quemquam ducere poterimus? quomodo tandem armis utemur, quorum usum non habemus? Ideo dicit S. Pater noster in Parte 4. *Constitut. c.* 8. §. 5. Ad Exercitia spiritualia aliis tradenda, postquam quisque in se ea fuerit expertus, assuescant; et dent operam omnes, ut et eorum reddere rationem, et in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratiâ ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere possint.

Tandem, monendos vos judicavi, quòd tempore illo, quo soli, et ab omni aliâ occupatione liberi Exercitia hæc facietis, non expediat legere in hoc Tractatu aliud quàm instructionem et Meditationem istius diei; studendo fructum, qui per illam intenditur, colligere, non transeundo ad alia quæ aliis diebus consideranda et agenda sunt, juxta id quod bene Annotat. 11. *habet S. Pater noster:* Quòd exercenti se in primâ Hebdomadâ expedit nescire, quid in secundâ sit acturus; sed ad consequendum illud, quod tunc quærit, acriter laborare, perinde ac si nihil boni posteà esset reperturus.

PRAXIS ET BREVIS DECLARATIO

EXERCITIORUM SPIRITUALIUM S. P. N. IGNATII.



PRIMUS DIES.

Instructio pro Meditatione.

Meditatio, velut omnes res naturales et artificiosæ, habet materiam, formam, finem, et causam efficientem.

Primo. Materia Meditationis est, historia vel puncta circa quæ Meditatio instituitur. Circa quod adverte,

1. Quòd debeat materia ea esse accommodata fini quem quis prosequitur : verbi gratiâ, qui contritionem quærit, meditari debet de suorum peccatorum multitudine, eorumque fœditate et gravitate ; et sic in aliis rebus. Et ideo S. Pater noster divisit materias ordinarias Meditationis in quatuor Hebdomadas, congruenter fini quem in iis prætendit.

2. Quòd materia debeat esse præparata

antequam orationem quis aggrediatur; quia nullus artifex laborem suum aggreditur, nisi ad manum habeat materialia. Materiam autem præparare, est eam legisse, et memoriæ mandasse; ita ut antequam orare incipiat, possit eam intelligere, et Exercitium quod aggreditur repetere, ut dicitur in primâ Additione : et eadem materia dividenda in certum punctorum numerum, ut dicitur in tertiâ Annotatione quartæ Septimanæ.

3. Quòd frequenter debeant renovari puncta; materia enim est copiosa, et hinc deficere non potest, et novitas gustum attentionemque in Meditatione excitat : è contrario, importunè diu uni puncto insistenti solet creari fastidium; quod provenit ex negligentiâ, quâ novam non parat Meditationem, unde plurimarum horarum et temporis in Meditatione jacturam facit.

Secundo. Finis Meditationis est, fructus ille quem inde colligere volumus : qui plerumque tertio præludio comprehenditur, quo eum quis à Deo petat, et eò tota Meditationis vis dirigatur. In eo autem ordinem à S. Patre nostro in suo Libello præscriptum servare, in nobis excitando proposita et conclusiones illo quo ipse præscribit modo, diximus suprà

hoc esse propriè orare secundùm Exercitia.

Tertio. Forma Meditationis est, modus in ingressu ad eam, et progressu, ejusque conclusione servandus. Et licèt varii sint orandi Modi, de quibus S. Pater noster in suo Libello; maximè tamen ordinarii sunt tres, qui docentur in primâ Septimanâ : primus, secundùm tres potentias; secundus, Repetitio; tertius, Applicatio sensuum.

Exercitium trium potentiarum est magìs naturale, et ordinario hominum agendi modo conforme : quia in eo docemur agere cum Deo de animæ nostræ negotiis, eodem modo quo negotia temporalia cum hominibus tractare solemus; idque secundùm quasdam valdè communes et simplices regulas, quas omnes intelligere possunt : sicque Modus ille orandi est fundamentum cæterorum, qui exerceri non possunt nisi per tres potentias, quæ nostræ sunt manus et pedes. Alios enim quibus ad Deum proficiscamur pedes, aut alias quibus Deum amplectamur manus, non habemus.

In isto orandi Modo, postquam in Dei Domini nostri præsentiâ nos collocaverimus, certi de negotio, et cum quo illud nobis tractandum sit, et liberaliter nos ad

divinum obsequium per Orationem præparatoriam obtulerimus ; Primò attendere debemus ad id de quo meditari volumus, in memoriam revocantes eam historiam, aut ejus partem, quam paravimus. Secundò, locum dare convenientem toti historiæ circa nos ipsos, statuendo singulas personas et earum situm in aliquo certo loco, quem imaginatione nobis præscribimus; quod vocant compositionem loci. Tertiò, nobis ob oculos ponere fructum quem colligere volumus, tanquam scopum ad quem in Meditatione collimamus; et à Deo gratiam petere, ut eum obtineamus. Et hæc circa tria Præludia.

Sequitur Meditatio in Exercitio trium potentiarum circa eamdem materiam ; hoc est, reducendo in memoriam punctum de quo meditari volumus ; intellectu discurrendo, et quærendo rationes circa idem, quæ convenientes sint ad nos movendos ad finem quem quærimus ; et per easdem rationes in voluntate pios affectus, quos desideramus, excitando : et tandem cum Deo colloquamur, ei gratias agendo, cum petitione ejus quod affectui, quem sentire vel percipere desideramus, conforme est.

Finis istius Modi orandi est, viam aperire, ut diximus, internæ cum Deo conversationi, et rationem agendi cum homi-

nibus transferre ad conversationem cum Deo, utendo potentiis nostris in animæ negotiis, quemadmodum eas impendere solemus negotiis corporis. Et sicut cùm de temporali aliquo negotio agimus, primò intentum nostrum seu finem proponimus, et mox variis rationibus et argumentis discurrimus, quò alterius moveamus voluntatem ad id quod prætendimus : sic in negotiis animæ, primò proponimus punctum, aut historiam de quâ meditamur; et illicò intellectus rationes quærit et motiva, similitudines et argumenta, quibus voluntatem moveat excitetque ad ea proposita et desideria quæ quærit.

Et ille orandi seu meditandi Modus, ut diximus, est magis naturalis, et fundamentum cæterorum; et quo incipientes maximè uti debent, donec ad altiorem orationis gradum introducti fuerint : quia in initiis generaliter non colliguntur suaves illi voluntatis fructus, si priùs discursu et intellectu laboratum non fuerit.

Secundus orandi Modus est Repetitio : quæ eadem habet Præludia, et eumdem modum potentias animæ exercendi, quem superior; differt tamen in duobus. Primò, in materiâ : quæ quidem est eadem, sed ex punctis propositis tantùm eligenda sunt ea, in quibus majorem quis percepit con-

solationem. Secundò, in colloquis. Fiunt enim in Repetitione tria : unum ad B. Virginem, secundum ad Christum Dominum nostrum, tertium ad Deum Patrem ; ut videre est in Libello. Finis hujus Modi orandi est, magìs cordi imprimere sensa divina : ideo fit eorum Repetitio. Primò, quò, tanquam clavus malleo, fortiùs infigantur, ut firmiùs hæreant. Secundò, ut quis se magìs exerceat in affectibus excitatis ; atque ideò fit meditatio de rebus jam aliàs in Meditatione cogitatis ; sicque minùs habet laboris intellectus, et faciliùs multiplicari possunt Colloquia. Et hæc causa est, quòd in Exercitiis hic orandi Modus accommodetur tertiæ horæ, postquam primam et secundam meditando transegerimus.

Tertius orandi Modus est, Applicatio sensuum imaginariorum absque discursu, cum simplici attentione audiendo, videndo, amplexando et osculando loca cum omni reverentiâ ; gaudendo cum animi attentione, ut solet quis gaudere, quando res amata præsens est, et à sensibus percipitur : quod non tantùm usuvenit in rebus sensibilibus et corporalibus, sed etiam in spiritualibus, gustando nempe suavitatem Dei, et se fragrantiâ odoreque virtutum recreando.

Finis hujus Orationis est duplex. 1. In rudioribus, qui intellectu multùm discurrere, et materias penetrare non possunt; sed cum simplici affectu in illis exterioribus apparentiis sensuum quiescunt. 2. In illis qui multùm intellectu discurrerunt, et materiam penetrarunt, ut aliquantulùm quiescant, et à discursuum labore cessent, magìsque accedant ad contemplationem rerum, de quibus meditati sunt, cum affectu et simplici rerum istarum intuitu. Et ideo ille orandi Modus ponitur in ultimâ diei horâ, quia, postquam in Meditatione tribus animæ potentiis laboravit, majoremque in Repetitione notitiam et affectum acquisivit, magìs aptus est, ut simpliciter in iisdem punctis notitiâ et affectu quiescat. Extra tempus Exercitiorum, quando non suppetunt tot horæ Meditationis, exercere se possunt in tribus illis orandi Modis, biduo vel triduo consequenter meditando ordinario modo de aliquibus punctis, alium diem capiendo pro Repetitione, aut sensuum Applicatione. Et hoc est quod ad formam Meditationis attinet.

Quarto. Causa efficiens sunt tres potentiæ quæ hoc Exercitium perficiunt, discurrendo, et intellectu cognoscendo, voluntateque prosequendo aut fugiendo.

Intellectus sæpè solet turbari et impediri distractionibus et mentis evagationibus; et voluntas siccitate, ariditate et duritiâ in bonis affectibus. Ad recolligendum intellectum non juvat vis illata capiti, nec voluntatem juvat ulla vis illata pectori: omnis enim attentio, seu devotio, vi expressa, spiritui parùm utilis est, et multùm obest corpori, terretque et avocat ab exercitio Orationis.

Ut autem quis sensus in evagationibus et distractionibus colligere possit, juvabunt sequentia.

Primò, Collectio sensuum exteriorum, et præcipuè visûs, auditûs et linguæ, abstinendo præsertim à risu, et narratione rerum ridicularum, ut bene dicitur in Additione 8 et 9. Vana enim hilaritas compunctioni, quæ mater est devotionis, contraria est.

Secundò, Contineat se quis in suo cubiculo, januam fenestrasque claudendo, quò se omni claritate privet, eam tantùm admittendo pro rebus necessariis, ut notatur Annotat. 20. et Additione 7.

Tertiò, Præscindendo filum omnium occupationum exteriorum, et maximè earum quibus se libenter et cum gustu detinere solet, quamvis eæ laudabiles et bonæ essent; ut studium, etc. ut fusè dicitur

in Annotat. 20. Solitæ enim illæ et notæ occupationes animæ sensim et sine sensu vires exsugunt, omnemque attentionem suffurantur. Et licet ea negotiorum et occupationum exclusio morosam eam solitudinem reddat, causetque tristitiam; suaviter tamen in fine reducit ad sinceram occupationem et recreationem in Exercitiis.

Quartò, Valdè juvat præcisè servare distributionem temporis, occupationes Exercitiaque certis temporibus applicando.

Quintò, Parare se ad Meditationem, antequam quis illam aggrediatur, certum tempus materiæ prævidendæ præfiniendo, potentias suas colligendo, easque ad propositum orationis applicando sicut dicitur in Annotatione 1. et 2.

Sextò, Integram Orationem facere, nec in aliquo deficere; hoc est cum Oratione præparatoriâ, Punctis, Præambulis et Colloquiis: quando enim quis sollicitus est, ut Orationem in omnibus suis membris perfectè perficiat, distractiones illæ prolixæ esse non possunt.

Tandem, Patienter ferat istam cogitationum pugnam, eas ad scopum suum, cùm se distractum animadvertet, revocando. In quem finem, multùm eum juvabit divisio illa præambulorum et punctorum; sciens enim unde cogitationes dis-

cesserint, videbit facilè quò revocare debeat; super omnia verò lux Christi Domini, quando eam ipse largiri dignabitur, omnes has distractiones tollet, nosque quietos reddet.

Voluntas, quando se siccam aridamque senserit, juvabitur:

Primò, Eo quod in Annotat. 5. dicitur: *Mirum in modum juvatur, qui suscipit Exercitia, si magno animo atque liberali accedens, totum studium et arbitrium suum offerat suo Creatori, ut de se suisque omnibus id statuat, in quo ipsi potissimùm servire possit juxta ejusdem beneplacitum.* Quæ dispositio est unus ex præcipuis fructibus, ut dicemus, qui in Meditatione de Fundamento quæri debent.

Secundò, Juvabit etiam, si non multùm solliciti simus de consolatione spirituali, nec multùm desolationes timeamus; in hoc tantùm incumbentes, ut Dei voluntatem intelligamus, quò illam compleamus: nobis persuadentes, quòd quacunque Deus nos ducere, et quomodocunque nos tractare voluerit, semper in viâ divini servitii progredi poterimus.

Tertiò, Usus tertii Præludii; ut nempe Deum oremus, gratiam nobis largiatur obtinendi quod petimus; eam petitionem

idemque desiderium in ipso Orationis decursu subinde renovantes.

Quartò, Colloquiorum frequentior usus, mirum quàm solidè in molestâ illâ siccitate et ariditate superandâ juvare soleat: animum enim ea fortiter accendunt, bonosque affectus excitant.

Tandem, Juvabit multùm usus pœnitentiarum, aliquam semper ordinariæ addendo; quando nempe ariditas illa nobis molesta est, ut dicit S. Pater noster in Reg. 6. inter primas de discretione, et in Addit. 10. ut mox dicemus. Super omnia juvabit, animum non despondere, nec fatigari, nec Exercitium aliquod orationis deserere, certò nobis persuadendo, fore, ut lucem et misericordiam, si perseveraverimus, à Deo impetremus.

MEDITATIO

DE FUNDAMENTO.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri sic habet:

Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet ac reverea-tur, eique serviens tandem salvus fiat. Reliqua verò supra terram sita, creata sunt hominis ipsius causâ, ut eum ad

finem creationis suæ prosequendum juvent : unde sequitur, utendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt, vel obsunt. Quapropter debemus absque differentiâ nos habere circa res creatas omnes, (prout libertati arbitrii nostri permissum est, et non prohibitum ;) ita ut, (quod in nobis est,) non quæramus sanitatem magìs, quàm ægritudinem : neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi præferamus. Sed consentaneum est, ex omnibus ea demum, quæ ad finem, cujus gratiâ conditi sumus, ducunt, eligere ac desiderare.

MEDITATIO

CIRCA FUNDAMENTUM.

Hæc Meditatio dividi potest in quatuor Puncta ; unde tres fructus colligi possunt, in quos oculos conjicere, et ad quos obtinendos exercitium hoc hujus diei dirigere debemus. Vocatur *principium* : quia in eo, quà tale est, includuntur resolutiones, quæ pòst fusiùs declarabuntur. Vocatur *fundamentum* : quia super eo assurgit totum vitæ spiritualis ædificium.

Primum punctum. Prima quæ hominem

tenere debet cura, est scire in quem finem creatus sit, et sollicitum esse ut illum acquirat. Finis, propter quem Deus hominem creavit, est

Primò, Ut eum laudet et glorificet corde, ore, et opere, omnia ad majorem Dei gloriam et laudem dirigendo; et ut alii hoc videntes, Deum etiam laudent et glorificent.

Secundò, Ut omnem ei reverentiam honoremque exhibeat, eumque Deum suum agnoscat: quod fit præcipuè actibus fidei, spei, et charitatis, firmiter credendo totum quod revelavit; sperando quod promisit; illumque tanquam summum et infinitum bonum, et ultimum finem amando.

Tertiò, Ut ei serviat obediatque tanquam legitimo suo Domino, ejus mandatis in omnibus rebus obsequendo, et tandem fruatur vitâ æternâ in cœlo; et hoc est quod vult dicere: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, etc.*

Secundum punctum. Deus totam creaturarum universitatem in obsequium et servitium hominis creavit. *Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subjecisti sub pedibus ejus, etc.* Aliquæ creaturæ conditæ sunt ut hominem susten-

tent; aliæ ut eum vestiant; aliæ ut eum curent; aliæ ut recreent : et usque ad ipsos Angelos, quos Deus constituit ut sint quasi directores, pædagogi, magistri, custodes et protectores hominum. Et velut parens, qui filium ad Universitatem mittit, abundè ei de necessariis prospicit, non ut lusibus ea dilapidet, sed ne aliquid ei desit quò minùs studia quàm commodissimè prosequatur; quæ ejus unica mens et intentio est. Vel sicut Rex, aliquos è Nobilibus aut subditis suis ad Aulam suam evocans, iis de omnibus quæ itineri conficiendo opportuna sunt providet, verbi gratiâ, de equis, rhedis, aut lecticis, si terrâ iter faciendum; vel si mari, de omni navium genere : non sanè ut ii illis se tantùm recreent, sed ut commodiùs et quàm celerrimè iter peragant, et ad Aulam perveniant. Sic, quòd à Deo omnia ad hominis obsequium facta creataque sint, factum est, ut illis ipse utatur ad finem suum, propter quem creatus est, meliùs consequendum, qui est major gloria et obsequium Dei; eòque omnium istarum creaturarum usum referat, illum in omnibus, et omnes in illo, secundùm sanctissimam ejus et divinam voluntatem amando. Et ea tum à recto suo fine divertitur intentio, quando nos ipsos, aut

aliquam creaturam non ad majus Dei obsequium quærimus. Hoc ergo die nos exercere debemus in bonâ hujus intentionis directione. Et hic est primus fructus ex hac Meditatione colligendus.

Tertium punctum. Hinc colligendum, quòd, quantùm nos creaturæ ad finis nostri consecutionem juvant, tantùm eis uti debemus; et eatenus eas repudiare, quatenus nos à dicto fine avocant. Omnes quidem creaturæ bonæ sunt suo tempore, et propter finem ob quem à Deo conditæ sunt; verùm non omni tempore eæ bonæ sunt, nec omni occasione, nec omnibus personis. Velut omnis generis diversorum artificum instrumenta variis usibus serviunt; verùm illa magister, aut artifex in manus accipit, quæ suo operi conveniunt : et si in eorum delectu et usu eum errare contigerit, gravissimum sibi damnum inferet. Omnes cibi licèt boni sint, non tamen omnium stomachis, nec omni tempori conveniunt. Sicut etiam omnis generis pharmaca, quæ in pharmacopœorum prostant officinis, quamvis salutaria, non omnibus morbis conveniunt : sic etiam, quamvis creaturæ omnes bonæ sint; necessaria tamen est in earum usu et electione discretio et prudentia. Quare Regula in earum usu rejectioneque obser-

vanda, est ultimus finis ad quem sumus creati. Et notandum hìc, quòd in toto hoc Tractatu creaturarum nomine intelligantur, quæ in quarto Puncto vocantur divitiæ, paupertas, honor, suî contemptus, salus, infirmitas, longa aut brevis vita, etc. Illa enim sunt, in quibus ordinariè creaturis utimur, vel abstinemus.

In hoc tertio Puncto fundatur secundus, qui ex hoc Exercitio fructus colligi debet, qui est perfecta suî notitia; hoc est, incipere inordinationem actionum suarum perspectam habere, eò quòd contra ordinem nos creatis rebus dederimus, et absque præviâ ullâ hujus ultimi finis electione aut consideratione iis frui voluerimus: et in hoc consistit peccatorum nostrorum malitia, et deviatio ab ultimo fine, quæ est æterna salus.

Quartum punctum. Si utendum creaturis, vel iis abstinendum eatenus est, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt, vel obsunt; facilè patet, quòd eas considerando in se, ad omnes debeamus esse indifferentes, easque tantùm admittere aut rejicere in ordine ad hunc ultimum finem. Qui aliquò proficiscitur, indifferens est ad omnes vias, donec sciat quà sibi eundum sit; ut et artifex aliquis ad omnis generis instrumenta, etc. Atque

sicut isti non se determinant, quia via facilis vel aspera, medicina suavis aut amara est, etc. sed quisque in eo suum finem respicit : sic indifferens ego esse debeo quoad honorem vel contemptum, paupertatem vel divitias, valetudinem bonam vel infirmitatem, longam aut brevem vitam; ex omnibus illis illud tantùm eligendo, quod maximè ultimo meo fini respondeat.

Et hic est tertius fructus, in quem collimare, et in quo me hoc die exercere debeo; conando nempe à me removere omnem ad res particulares affectum, et ad omnes creaturas me indifferentem reddere.

Ex omnibus his patet, quòd hoc sit fundamentum et principium totius vitæ spiritualis. Unde et constat : Primò, quàm debeat esse homo erga Deum sincerus et justus. Secundò, quòd omnis confusio ex nimio et inordinato creaturarum amore proveniat. Tertiò, quòd à nobis omnem erga creaturas affectum removere, et ad omnes indifferentes esse debeamus, quò faciliùs ad ultimum finem pertingere possimus.

Omnia Exercitia, de quibus posthac agemus, usque ad postremum, quod est de perfectione, alicui horum principiorum innituntur.

Principium et Fundamentum accommodatum vitæ religiosæ.

Quod in genere de omnibus dictum est, facilè Religiosus suo statui accommodabit.

Primò, Finis Religiosi Societatis est, quærere propriam et proximi sui salutem et perfectionem.

Secundò, Media omnia quæ in Religione sunt, ad hunc finem diriguntur: partim ad perfectionem propriam, ut sunt Oratio, Sacramentorum frequentatio, etc. partim ad perfectionem proximi, qualia sunt studia, ministeria, etc. Unde apparet qualis debeat esse perfectus Religiosus, qui totam suam intentionem positam habet in debito fine, et alia omnia media eò dirigit.

Tertiò, Eatenus Exercitiis et occupationibus uti, vel ab iis abstinere debemus, quatenus nos juvant, vel impediunt, in nostrâ seu proximi perfectione. Et hinc facilè constabit, quàm procul à recto deviemus, si occupationes, et ministeria, et habitationem, non propter istum finem, sed pro libitu nostro, inclinatione, honore, sensu et commodo eligamus.

Quartò, Sequitur, quòd, quantum in nobis est, ad omnem habitationem, ministeria, et omnis generis occupationes, indifferentes esse debeamus : et hæc est nobilis illa indifferentiæ virtus, quæ tantopere in SOCIETATE commendatur, quâ, ad conformitatem cum Dei voluntate, à sanctâ Obedientiâ suaviter nos regi permittimus.

SECUNDUS DIES.

Modus faciendi Examen generale.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri.

EXAMINIS GENERALIS MODUS, PARTICULAS SEU PUNCTA QUINQUE COMPLECTENTIS.

PRIMUM PUNCTUM *est, Domino nostro Deo, pro beneficiis acceptis gratias agendas esse.*

SECUNDUM, *Quòd debemus pro cognitione et expulsione peccatorum gratiam flagitare.*

TERTIUM, *De admissis præsenti die peccatis, rationem ab animâ nostrâ exigere, per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando. Et primò quidem circa cogitationem; deinde circa loquelam, atque operationem, eodem ordine quo in particulari Examine traditum est.*

QUARTUM, *Poscere veniam de delictis.*

QUINTUM, *Proponere cum Dei gratiâ emendationem, et Orationem Dominicam post dicta omnia recitare.*

Pater noster.

De Examine generali.

EXAMEN generale est Exercitium tanti momenti, ut vix aliud reperias, quod dæmonis conatibus et tentationibus majus ponat obstaculum, nisì fortè idem sit de Examine particulari, propter easdem rationes; atque ita omni studio laborandum est, ut illud rectè fiat.

Fines et fructus hujus Exercitii sunt duo illi, qui titulo illius comprehenduntur : *Ad purgationem animæ, et ad peccatorum confessionem utilissimum.* Puritas acquiritur tribus mediis. Primò, Cognitione radicis interioris vitiorum, ut eam præscindamus. Secundò, Exteriores lapsûs occasiones notando, ut eas removeamus. Tertiò, Dolore et odio peccatorum; unde nascitur propositum et cura ea emendandi.

Omnia illa per examen acquiruntur.

1. Radix vitiosa deprehenditur, notando in quæ peccata magìs ordinariè et frequentiùs labamur; quod is, qui se non examinat, scire non potest. Velut is qui ordinariè à domo suâ abest, scire nequit quid ibi rerum agatur, nec qui ibi committantur, et unde illi proveniant defectus.

2. Examine hoc in notitiam venimus occasionum externarum, ut eas fugiamus.

Velut is qui in saxum aliquod impingens cadit; si non reflectat, nec lapsûs istius causam consideret, vix aliàs tales incursus effugiet, et frequentiùs cadat necesse est: sic qui per Examen hoc ad occasiones defectuum et peccatorum non reflectit, quomodo eas deserere, et ab iis sibi cavere poterit? Haud dubiè frequentiùs in eadem relabetur.

3. Dolor, et emendationis propositum ad quartum et quintum examinis Punctum pertinent.

Secundus finis est *Peccatorum Confessio.* Quæ ut utiliter fiat, debet esse clara, integra, et cum dolore et emendationis proposito fieri debet. Ad integritatem multùm juvat tertium Punctum examinis: qui enim in eo peccata illo die commissa in memoriam revocare studet, facilè eorum Confessionis tempore recordabitur. Et quamvis non sit obligatio confitendi venialia; quia tamen illa propter majorem animæ puritatem confitemur, æquum est, ut eadem etiam, propter eamdem causam, et spiritualem nostrum profectum, quotidie examinemus. Quòd si ita non fiat, contingit, ut Confessionem instituamus solis verbis, et modis dicendi tam generalibus, ut commisceamus frequenter graviores culpas levioribus, et iis etiam quæ

culpâ vacant : et hinc provenit, quòd tametsi culpa major, vel minor, aut etiam nulla sit, confessio tamen sit eadem, iisdemque verbis speciosis, et tanquam impressis, prolata. Quæ omnia declarant, quòd examen cum exiguâ luce rerumque notitiâ, et in genere etiam eâdem, et non majori confusione factum sit.

Alium etiam defectum, eumque gravem, solent habere confessiones, dum nempe cum exiguâ contritione, hoc est absque dolore et emendationis proposito, fiunt : cui occurritur, si sollicitè et benè serventur duo postrema Puncta examinis.

MEDITATIO

DE PECCATIS.

Hoc die fiet Meditatio de peccatis, ut quis ea cognoscat, et fugiat. Et innititur hæc Meditatio quatuor Punctis Fundamenti : exempli causâ, capiendo pro regulâ ultimum finem, propter quem reliquæ omnes creaturæ, et nos creati sumus; tum notando, quoties ab eo nostro fine deviaverimus, et vim creaturis iis abutendo fecerimus; tum descendendo ad istorum defectuum odium, quo ad debitum finis

hujus amorem reducamur. Et sic habet hoc Exercitium duas partes.

Prima spectat ad notitiam defectuum nostrorum, secunda ad eorum odium.

PARS PRIMA. *De notitiâ propriâ peccatorum nostrorum.*

PRIMA hæc Pars duas habet Notas, et quatuor Puncta.

PRIMA NOTA. Quò quis meliùs operum suorum declinationem à recto cognoscat, et videat, opus habet regulâ quâdam et rectâ lineâ, ad quam illa examinet. Ista regula Primò est ultimus noster finis, cui ea respondere debent: et hinc quia Sancti omnes hujus finis rectitudinem optimè noverant, non exiguam in levioribus etiam defectibus compunctionis materiam inveniebant. Hinc D. August. *Miser ego! quando poterit mea obliquitas tuæ rectitudini adæquari?* Secundò, Exempla Sanctorum. *Imitatores meî estote, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram*, ad Philip. 3. Tertiò, Regula hujus notitiæ esse nobis possunt nostra bona proposita, fervores, et exercitia præterita; hinc pudoris materiam sumentibus, quòd cùm debuerimus in virtutibus magnum fecisse progressum,

multùm ab iis deflexisse nos conspiciamus.

Secunda nota. Quòd id genus examinis, quo per orationem in suî quis notitiam veniat, non debeat esse quale id quod fit in ordine ad confessionem, sed magìs eî simile, quod fit quando quis vult reddere rationem conscientiæ, notando errores et tentationes ordinarias, ad passionum pravarumque inclinationum radices evellendas, statumque virtutum et spiritualem profectum inducendum.

Porrò hoc Exercitium notitiæ suî ipsius, quo quis defectus suos cognoscat, reduci potest ad quatuor capita sive Puncta.

Primum punctum. Cogitationes, verba, et opera.

1. Cogitationes otiosæ, dissolutæ, inutiles, machinæ in aëre; intentiones, inventiones et ratiocinationes tendentes ad consequendum honorem, bonam lautamque tractationem et commoditates, omneque id quod mundus amat et quærit; indignationes, querelæ et invidiæ eorum, qui suis conatibus obstant, eosque impediunt, vanæ delectationes et tristitiæ.

2. Verba otiosa, intempestiva linguæ dissolutio, levitas in loquendo, risus, facetiæ, indiscretiones, defectus prudentiæ, querelæ de Superioribus, murmurationes de absentibus, affligere et pungere

præsentes, suâque vanitate et jactantiâ omnibus malum exemplum dare.

3. In operibus, otium, studium rerum inutilium, ab utilibus aversio, fugere laborem, privilegia et exemptiones quærere; vivere inter suos cum exiguâ ædificatione, et inter seculares more illorum.

Secundum punctum. Sunt tria vota.

1. In Paupertate, desideria commoditatum, non permittendo sibi quidquam deesse, procurando meliora; particularitatum esse amicum, non contentum esse eo quod habet communitas, omnia alia desiderare, facilè dare, accipere, commodare; quæ suo appetitui et desiderio desunt importunè petere, etiam adhibitâ operâ secularium.

2. In Castitate, exigua cordis custodia, minor sensuum; involutum et irretitum esse variis cogitationibus, phantasiis, affectibus et amicitiis particularibus.

3. In Obedientiâ, durities judicii, murmurationes, et aperta indicia reluctantiæ, tristitia, defectus executionis; non esse exactum, humanis uti mediis quò quis suum finem consequatur, et Superiorem in suam sententiam pertrahat; facilem esse in contradicendo, suaque sine præviâ oratione, sine electione, sine motivis

spiritualibus et majoris Dei obsequii curâ, proponendo.

Tertium punctum. Exercitia spiritualia orationum, examinum, lectionis spiritualis, pœnitentiarum, Missæ, Confessionis et Communionis, etc. illa sine urgente causâ negligendo, in iis se sine spiritu et devotione gerendo, non conformando se Regulis et instructionibus. Et in hoc Puncto expedit reflectere ad instructiones quæ pro singulis sunt, et notare in quibus defecerimus, et in quo nos illis conformare debeamus.

Quartum punctum. Omnes nostræ ordinationes, instructiones, et Regulæ tam Summarii Constitutionum, quàm Communes, et omnium Officialium in particulari, singulas, si tempus suppetat, diligenter examinando et discutiendo, 1. Quid Regula præcipiat. 2. In quo erratum sit. 3. Quomodo hoc emendari debeat; et hoc Exercitium nonnunquam sumi potest loco orationis, frequenter loco lectionis libri spiritualis. Verùm jam Exercitiorum tempore fieri convenit examen circa Regulas aliquas magìs principales, quales sunt, rationem reddere conscientiæ, de correctione fraternâ Regulæ conformi, de silentio, de non ingrediendo aliena cubicula, de litteris sine veniâ non scribendis aut

recipiendis, de pecuniis non asservandis, de usu nullius rei tanquam propriæ.

Et hìc notandum, ut initio dixi, quòd, ut quis facilè in suorum defectuum cognitionem veniat, multùm juvabit, si præsentem hunc suum statum cum eo, in quo aliquando meliùs se habuit, conferat, oculosque conjiciat in exempla, quibus in eo particulares aliquæ personæ spirituales, perfectæ, notæ, nobis prælucent; vel tandem, quâ erga Deum tenetur, obligationem, perfectionemque et sanctitatem, quam à se Deus exigit, consideret. Illæ enim tres Regulæ sunt, quas initio proposuimus.

Et quia totum illud examen uno die fieri non potest, bonum erit quotidie aliquid ei temporis impendere: postquam verò octo Exercitiorum diebus totum illud spatium decurrerit, per totum anni decursum postmodum cum otio illud continuabit.

Tandem nota, Quòd sicut quidam suis semper rebus et opinionibus ex passione quadam adhærentes, in omnibus excusationes prætendunt; sic alii, quando præsertim recollectioni et devotioni se dant, eamdem illam passionem exercent in nimiâ suî accusatione, in omnibus se supra modum gravantes: quibus magìs utile foret, si defectus singulos, quibus verè

illaqueati sunt, et remedium reformationemque exigunt, quietè, cum otio et prudenter considerarent, eosque, ob rationes quas mox dabimus, breviter annotarent.

SECUNDA PARS. *De dolore peccatorum.*

SECUNDA hujus Exercitii Pars est, dolor et odium peccatorum : ejusque præcipuum motivum est, quòd ab ultimo nostro fine recesserimus ; quæ est unica radix et causa contritionis. Porrò ad hunc dolorem in nobis excitandum juvabunt sequentia.

Primò. Fœditas et turpitudo, quam culpa secum involvit, est ea irreverentia, contemptus et offensa tam magni Dei. Et cùm ipse propter se, tanquam ultimum finem, nos creaverit, nos ipsi terga verterimus, eumque deseruerimus. Cùmque ipse amicitiam suam nobis liberaliter obtulerit, nos eum contemnentes, parvique facientes, vilioris alicujus creaturæ affectum et amorem ipsi prætulerimus. Et cùm ipse omnium creaturarum usum nobis ad ejus obsequium concesserit, nos in eis, tanquam si dii illi nostri forent, cor nostrum fixerimus ; easque præ Deo, cum gravissimâ ejus offensâ, eligendo, omne

jus Deo fruendi, pro tam fœdo creaturarum abusu, miserè perdiderimus.

Secundò. Turpitudo illa apparet in mysterio Incarnationis Dominicæ. Ipse enim Dei Filius se hominem fecit, laboravit, passus et mortuus est, ut nos à peccatis liberaret, et à viis pessimis et obliquis ad veram ultimi nostri finis viam revocaret. Et hinc, quando peccamus, verè dicimur Filii Dei sanguinem, labores, vitam et ipsam denique mortem contemnere. Ad Hebr. 10. *Quantò magìs putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, etc.*

Hæc est gravissima una Apostoli ponderatio. Peccati enim malitia etsi omni tempore magna fuerit, tamen post Salvatoris nostri mortem, propter ejus personæ contemptum, et summam pro tam illustri beneficio ingratitudinem, gravior facta est. Et hoc est quod ponderabat Apostolus, cùm diceret : Is qui contra legem Moysi peccaverat, à duobus testibus convictus, absque ullo remedio morti erat obnoxius; quantò majores tuo judicio pœnas meretur is, qui Dei Filium suis substernit pedibus, ejus vitam et mortem, quæ ad peccati destructionem dirigebatur, malitiosè spernens, quique

Spiritui gratiæ injuriam facit, quem nobis ille idem, ne in peccatum relaberemur, meruit; et qui sanctum illum Sanguinem pro novi Testamenti confirmatione effusum contemnit, tanquam si profanus foret animalium, quæ olim in sacrificiis offerebantur?

Tertiò. Peccati malitia innotescit, ex parte hominis qui peccat, duobus modis, consideratione nempe sui nihili, et dignitatis.

Quoad abjectionem, 1. Comparatione cum cæteris creaturis, homo nihil est: si cum Angelis eum compares, multò minus; quid ergo comparatione Dei?

2. Considerando eum quoad corpus, est vas corruptionis, ex quo tanquam sentinâ fœtores fæcesque perpetuò fluunt, extrinsecùs dealbatum, ut non appareat quod intus occultatum latet.

3. Quoad animam multò est contemptibilior: ex illâ enim prodeunt tot contra Deum peccata, et tot abominationes. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, etc.* Eò injuria major est quam facit, quò homo minor et vilior est.

Quod verò ad dignitatem hominis attinet, creatus est ad imaginem Dei, ejus Sanguine redemptus, ad fidem vocatus, et ad Dei Ecclesiam, sacrosancto Christi Cor-

pore et Sanguine pastus, et tot beneficiis honoratus; quæ quò majora sunt, eò et gravior est ingratitudo et injuria.

Quartò. Eadem gravitas apparet ex parte Dei qui offenditur.

1. Contra Deum infinitæ potentiæ : qui, cùm homo peccaret, poterat eum ad nihilum redigere.

2. Contra Deum tantæ sapientiæ : qui secretissimas cordis cogitationes, et quantum homo faciat et cogitet in delinquendo, clarissimè videt.

3. Tantæ justitiæ : qui tot jam de facto animarum myriades, perpetuùm arsuras, propter eadem et similia peccata, eodemque tempore quo ego illa commisi, in infernum præcipites dedit.

4. Tantæ bonitatis et misericordiæ, quæ sola ejus cohibet justitiam, quò minùs mihi pœnas debitas propter gravissima mea peccata infligat.

S. Pater noster Exercitium concludit hoc Puncto, dicendo :

Quintum punctum, *in exclamationem prorumpere, ex commotione affectûs vehementi, admirando valdè, quomodo creaturæ omnes (discursu facto per singulas) me sustinuerint tamdiu, et huc usque vivum servaverint : quomodo Angeli, divinæ justitiæ gladium ferentes, æquo*

me animo tulerint, custodierint, suisque etiam juverint suffragiis : quomodo pro me intercesserint Sancti : quomodo cœlum, sol, luna, et alia sidera, elementa, cunctaque animantium genera, et terræ germina, debitæ vindictæ loco, mihi servierint : quo denique modo non absorbuerit me dehiscens tellus, mille infernos reserans, in quibus perpetuas pœnas daturus essem.

De peccatis venialibus.

QUAMVIS peccata venialia homines gratiâ non spolient, sunt tamen multa, quæ nos ad eorum odium et fugam excitant.

1. Sunt culpa et Dei offensa : quod iis, qui Deo placere student, sufficere debet.

2. Sunt maculæ et animæ turpes notæ : quæ pudorem et verecundiam incutiunt, quò minùs coram Deo comparere, instar cujusdam qui fuligine denigratus est, quis audeat.

3. Charitatis fervorem, et rerum spiritualium gustum minuunt, velut crassi pravique humores sensus motumque vitiant.

4. Tollunt omnem in Deum fiduciam. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus.*

5. Fervorem minuunt, et vires effica-

ciamque orationis debilitant. Deus enim non sine ratione, auxilia sua ei negat, quem tardum et negligentem in suâ voluntate explendâ invenit. Threnor. c. 3. *Nos iniquè egimus, et ad iracundiam provocavimus; idcircò tu inexorabilis es. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Zachar. 7. *Et non audierunt : sic clamabunt, et non exaudiam eos.*

6. Disponunt ad lapsum in culpas mortales : nam homines usu familiaritateque minorum, paulatim majora contemnere incipiunt ; et tandem eâ spiritûs debilitate enervati, gravioribus nequeunt resistere tentationibus.

Nota, non esse consultum, ut tota hora examini lapsuum nostrorum impendatur, neque etiam ut collocatur in expendendis iis quæ ad contritionem moveant, sed potiùs hæc semper sese mutuò comitentur.

TERTIUS DIES.

De pœnitentiâ exteriore vel corporis castigatione.

Hanc materiam mirabiliter tractat S. Pater noster in Addit. 10. quæ sequitur primam Septimanam, et sic habet:

Decima, *ut aliquam addam satisfactionem, seu pœnitentiam: quæ quidem in interiorem et exteriorem dividitur. Interior est, dolor de propriis peccatis, cum firmo proposito cavendi tum ab illis, tum ab aliis quibusvis in posterum. Exterior autem est fructus interioris, videlicet castigatio aliqua de commissis, quæ tribus potissimùm modis assumi potest.*

Primò, circa victum, subtractis quibusdam non superfluis solùm (quod temperantiæ est, non pœnitentiæ) sed etiam convenientibus alimentis: et eò fit meliùs quò plus subtrahitur, vitatâ interim naturæ corruptione, aut debilitate gravi, seu infirmitate.

Secundò, circa somni et strati modum, sublatis non mollibus tantùm aut deliciosis

rebus, sed aliis etiam opportunis, quantum licet, citra vitæ aut valetudinis grave periculum : quapropter de somno necessario nihil demendum est, nisi aliquantisper, ad consuetudinem (si cui est nimii somni) moderandam.

Tertiò, circa ipsam carnem, ut inflictum sentiat dolorem, admotis gestatisque ciliciis, funibus, aut vectibus ferreis, vel incussis verberibus ac plagis, vel aliis austeritatis generibus assumptis : in quibus tamen omnibus magìs expedire videtur, ut doloris sensus in carne tantùm sit, nec penetret ossa cum infirmitatis periculo. Quare flagellis potissimùm utemur ex funiculis minutis, quæ exteriores affligunt partes, non autem adeò interiores, ut valetudinem adversam causare possint.

Notanda sunt insuper quatuor hæc circa pœnitentiam. Primum. Quòd pœnitentiæ exterioris triplex est usus seu effectus : nimirum ut pro delictis præteritis nonnihil satisfiat; ut vincat seipsum homo, inferiorem sui partem, quæ sensualitas appellatur, superiori, hoc est rationi, magìs subjiciens : ut postremò quæramus atque impetremus aliquod gratiæ divinæ donum, quod optamus; putà intimam cordis contritionem de peccatis, et abundantiam lacrymarum, vel propter illa, vel propter

pœnas et dolores Passionis Christi, aut dubii alicujus, quod nos angit, resolutionem.

Et infrà, post *Notandum secundum*, sic dicit : *Tertium, quòd, quando is qui exercitatur, affectum quæsitum non consequitur, ut dolorem vel consolationem; mutare subinde expedit rationem victûs somnique, et alia genera pœnitentiæ; ità ut pœnitentiam unam per triduum sectemur, et proximo eam biduo relinquamus, vel etiam triduo, prout diversis plus aut minus pœnitentiæ est sumendum.*

Prætereà cùm pœnitentias hujusmodi sæpè omittamus, ob affectum carnis aut erroneum judicium, quasi naturalis nostra complexio ferre illas non possit citra ingens valetudinis detrimentum; et è contrario, justum nonnunquam modum pœnitentiæ excedamus, de corporis robore nimis confidentes; mutatis, ut dictum est, pœnitentiæ generibus, ac per vices sumptis et relictis, evenit plerumque, ut clementissimus Dominus, qui naturam nostram perfectissimè cognoscit, unicuique id compertum reddat, quod ipsi expedit.

Declaratio Additionis decimæ.

Poenitentia exterior, quæ est corporis castigatio, est fructus pœnitentiæ interioris, quæ est dolor de peccatis : ostenditque hunc dolorem esse verum, quia pervenit ad vindictam de offensâ, et ad adhibenda, quæ magno constant, remedia, ne ad illam relabamur.

Hæc pœnitentia habet tres effectus.

Primus. Satisfacere pro peccatis præteritis.

Secundus. Vincere seipsum, sensualitatem rationi subjiciendo, unde proveniunt uberes fructus bonorum operum et virtutum, propter tria : 1. Quia ratio caret contradictione sensualitatis ; vel saltem minor ea est, quando corpus castigatur. 2. Quia corpus delicatè enutritum recusat labores. Et sicut caro non salita corrumpitur, et vermes generat ; sic corpus benè pastum, amicum est otii, tentationum malarumque cogitationum seminarium. Contrà, corpus benè castigatum lubens se sanctis subdit laboribus : experientiaque nos docet, quòd bestiis et pueris magìs sit proprium, rigore et castigationibus, quàm ratione, gubernari. 3. Quia dæmon, qui per sensualitatem

hominem plerumque dejicit, severitate illâ et flagellis faciliùs vincitur : imò aliqui sunt dæmones (et ex Evangelio patet) qui non ejiciuntur, nisi oratione et jejunio.

Tertius effectus pœnitentiæ est, à Deo Domino nostro gratiam aliquam obtinere et favorem, eumque vel spiritualem; qualis est dolor, contritio, devotio, sensus et gustus aliquis spiritualis, etc. vel temporalem; verbi gratiâ, bonam valetudinem, pacem, bonum optatumque negotii alicujus successum, vel quid simile. Peculiariter verò Sancti hisce pœnitentiis usi sunt ad obtinendam à Deo lucem in dubio aliquo, vel alicujus quæstionis resolutione : quia quando pœnitentia Orationi innititur, fortior ea fit, ut ex sacris Litteris patet.

Pœnitentia fieri potest tribus modis.

Primo, in cibo et potu, tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem. In cibo, non comedendo sine licentiâ, nec extra tempora, aut consueta loca; non quærendo delicatiora; non conquerendo de vilioribus cibis; eosque et potum usque ad satietatem non sumendo; in delicatioribus præcipuè se mortificando, quæ omnia ad temperantiam spectant, ut videre est in Regulis abstinentiæ et Addi-

tione 10. Ad pœnitentiam verò spectat, de quantitate quid tollere, ut conveniet jejunio plùs minùsve arcto aut rigido. Et hæc pœnitentia valdè propria est SOCIETATI, cujus quædam Regula habet : *Omnes intelligant, non esse singularitatem, jejunare aliis non jejunantibus, etc.* In potu fit pœnitentia, excessum tollendo in quantitate, et maximè in qualitate vini, cujus non deberet esse usus, nisi per modùm medicinæ : omnis enim in eo excessus tentationibus materiam subministrat, accendit iram, stupefacit intellectum, ad Orationem et Exercitia spiritualia torpidum tardumque reddit, aliaque multa tum corpori tum animæ damna infert. Hoc Exercitium mortificationis circa cibum valdè fuit in usu SOCIETATIS initio.

Secundo, pœnitentia fieri potest quoad somnum : in quo licèt nihil de necessario demi debeat, moderatio tamen adhibenda est, ne sit superfluus, præcisè semper ad Orationem surgendo, contrarias omnes necessitates et rationes, nisi benè examinatæ fuerint, rejiciendo. Quod ad temperantiam et pœnitentiam spectat, uti etiam asperis in modo dormiendi ; verbi gratiâ, dormire vestitum, humi cubare, etc.

Tertio, fieri potest pœnitentia disciplinis, ciliciis, aliisque id genus asperitatibus

et castigationibus ; quarum est magna varietas et differentia : et admirandas earum inventiones videre est in Sanctorum Vitis, de quibus quoad usum et imitationem dicit S. Pater noster in Additione 10. sic : *Circa ipsam carnem*, magìs commodum et securum videtur, *ut inflictum sentiat dolorem, incussis verberibus aut plagis, ut doloris sensus in carne tantùm sit, nec penetret ossa cum infirmitatis periculo.* Ideò magìs conveniens est, se affligere tenuibus funiculis potiùs quàm alio modo, qui notabilem aliquam causare posset infirmitatem. Et quia modus ille agendi pœnitentiam disciplinis et ciliciis jam factus est maximè ordinarius, timendum est ne duorum priorum obliviscamur, judicando eos quasi alienos à nostro Instituto et Religione; cùm tamen ab eâ verè non sint alieni, et S. Pater noster eorum expressam faciat mentionem : deinde fructus ille, qui ex ciliciis et disciplinis colligi solet, non erit is qui exspectari debet, si cibo et potui laxemus habenas, nec iis frenum aliquod injiciamus. Pœnitentiæ hæ corporales non possunt in omnibus personis esse eædem, nec omni tempore; sed esse debent plures vel pauciores.

Primò. Debent esse conformes valetudini corporisque viribus : quia is qui

multis corporis miseriis et infirmitatibus affligitur, non debet illas sibi reddere graviores superinjecto novo pœnitentiarum voluntariarum, præsertim indiscretarum onere, aut cum anxietate, ne illas non possit explere, sed potiùs animum suum applicet ad generosè ferendas pœnitentias sibi à Deo immissas.

Secundò. Debet haberi ratio occupationum et laborum ad majus Dei obsequium, ne illi impediantur; sive ii ad proximi spirituale bonum, sive in temporale alicujus communitatis auxilium tendant: quia æquum non est, pœnitentiis, quæ mihi quidem utiles sunt, aliis verò non prosunt, corporis vires debilitare; cùm eas ego impendere possim laboribus aliis, qui et corpori molesti erunt, et præterquam quòd spiritui multùm profuturi sint, in proximi etiam utilitatem redundabunt. Et hoc intelligendum, quando tales pœnitentiæ occupationes utiles impediunt; aliquando enim eas et frequenter juvant, corpus spiritui et sensualitatem rationi subjiciendo, ut suprà diximus.

Tertiò. Debet pœnitentia accommodari materiæ Meditationis: majorem enim Meditationis primæ et tertiæ Septimanæ requirunt, quàm eæ quæ in quartâ fiunt. Ratio etiam habenda consolationis aut de-

solationis spiritualis, et devotionis, aut ariditatis quæ percipitur : et ut mediocritatem quis servet in omnibus istis occasionibus, expedit aliquando pœnitentias mutare, majores vel minores assumendo; ad majores tamen et severiores majori fervore ferátur, quia vires suas nemo facilè noverit, nisi ad extremum et summum potentiæ pervenerit. Et in omnibus his optimum est, bono uti consilio, et alterius se judicio subjicere.

MEDITATIO.

DE PECCATORUM POENIS.

Notandum Primo, Quòd in omni peccato duo reperiantur : unum est, deseruisse Deum, qui ultimus est finis; alterum, inordinato se affectu ad creaturam aliquam convertisse, in quibus, ut diximus, tota peccati fœditas consistit. Istisque duabus malitiis rigor punitionis et pœnæ respondet.

Et ideo primò id evenit, ut is qui Deum deseruit, sit absque Deo; et qui ultimum suum finem fugit, ad illum non perveniat; et qui ad convivium invitatus ire noluit, ex eo non comedat; et qui à Deo recessit, ab illo Deus recedat. *Osee* 9.

Sed et væ eis, cùm recessero ab eis. Et illam vocamus Pœnam damni. Secundò, ut is qui se creaturæ tradidit, damnum etiam cum illâ patiatur; et spinis se pungat, qui eas amplectitur; et is qui crudeli domino servire voluit, ejus etiam crudelitatem sentiat. Isaiæ 19. *Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium.* Et hanc vocamus Pœnam sensûs.

Notandum Secundo, Quòd ira Dei in peccatoribus peccatisque puniendis valdè similis sit iræ viri alicujus potentis et zelotypi : qui cùm uxorem suam lautissimè, summoque semper in honore domi suæ habuisset, summo agitatur furore, quòd ipsa, eo spreto, cum adultero discesserit : ideoque Primò, nullius eam rogatu aut intercessione in domum suam admittit; et pessimæ ab adultero tractationi multisque miseriis obnoxiam cum paupertate luctari permittit. Secundò, eam violenter ab adultero separat, ne vel brevi ista voluptate ita amaritudinibus mixtâ recreetur. Tertiò, adulterum occidit. Quartò, uxorem pudendâ et ignominiosâ morte afficit : *quia*, ut dicitur Proverbiorum c. 6. *zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Similem modum servat

Deus in punitione hominum, qui, se spreto, qui ultimus eorum finis est, turpibus creaturarum amoribus indulgent. Quæ similitudo in Scripturâ sacrâ in usu est; ut apparet Jeremiæ 2. ubi clarè ostenditur, quomodo hoc sentiat Deus, his severissimis verbis : *Obstupescite cœli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Porrò ad clariorem iræ Dei punitionisque intelligentiam juvabunt sequentia.

Considera Primo, Maximam demonstrationem odii, quo in peccatum fertur Deus, fuisse in Angelis, quos de cœlis propter unicum superbiæ peccatum in infernum præcipites dedit. Ubi valdè notandum, quòd pretiosissimum domûs Dei monile, præcipua cœli totius pulchritudo, et quæ speciosissimum Deum maximè referebat imago, propter unicam superbiæ cogitationem, velut fulmen è cœlo delapsa est; atque adeò ex Principe Angelorum factus est Princeps dæmoniorum, ex speciosissimo omnium turpissimus, ex gloriosissimo omnium afflictissimus : qui gratissimus erat, factus est omnium hostium

Dei, qui aut sunt, aut unquam futuri sunt, maximus. Porrò si hujus cladis in aureis illis vasis pretiosissimis una sola culpa causa fuit, quid de vilissimis vasis luteis, tot peccatorum veneno plenissimis, exspectandum?

Considera Secundo, Alterum divinæ justitiæ argumentum exhibitum fuisse in paradiso terrestri; ubi primum hominem ad suam Deus imaginem et similitudinem creatum collocaverat, omnium hominum parentem ac caput, gratiâ et justitiâ originali, immortalitatis quasi veste, aliisque innumeris excellentiis et privilegiis ornatum : quem Deus, propter unam inobedientiam ex paradiso in exilium relegatum, ad infinitas pœnas et miserias, ad mortem denique condemnavit. Nec hìc divina stetit justitia : eadem enim pœna omnes Adæ posteros involvit; qui ex radice infectâ nascuntur filii iræ, in peccatis concepti, iisdemque sunt obnoxii miseriis. Nec post tot secula ea est oblivioni mandata injuria, licèt inter tot homines distributa, tantisque pœnis castigata : quinimò quotquot ab orbe condito huc usque homines flagella passi sunt, et quotquot mortem obierunt, et quotquot in inferno animæ ardent, ardebuntque perpetuùm, sunt quasi scintillæ ab hac

primâ culpâ originaliter provenientes, divinæque justitiæ clarissima testimonia. Quas ergo pœnas et flagella meretur et timere debet homo vilis, propter tam varia quæ commisit peccata; cùm propter unicum solum, in eo qui omnium hominum pater et caput erat, tot exstent severissimæ justitiæ divinæ argumenta?

Considera Tertio, Ut homines à novis peccatis non destiterunt, sic Deum à novis flagellis immittendis non destitisse. Totum universum miserè diluvio periit. Super quinque illas infandas civitates ignem et sulphur de cœlo pluit Deus. Core, Dathan et Abiron, cum Moyse impiè concurrere volentes, vivos terra absorpsit. Duo filii Aaron, Nadab et Abiu, propter omissam aliquam in sacrificio cærimoniam, igne Sanctuarii subitò extincti sunt. Ananias et Saphira in novo Testamento ob mendacium, quod primo intuitu leve videbatur, inopinatò mortui sunt. Et hujusmodi in divinis Litteris et Historiis, tam sacris quàm profanis, plurima occurrunt exempla, aliaque quæ ipsi hisce nostris temporibus quotidie videmus. Juvabit hæc nonnunquam in memoriam revocare, et cogitare, quòd plurimi, ob minora paucioraque peccata, quàm quæ nos commisimus, perpetuùm in inferno ardeant.

Considera Quarto, Omnia justitiæ Dei erga peccatores esse plenissima : affligit enim eos Primò, cæcitate, ignorantiâ, tenebris spiritualibus, inquietudine animæ et spiritûs, remorsu conscientiæ, ut sint tanquam homines, qui extra centrum suum existentes, nusquam firmitatem ac quietem inveniunt. Quæ omnia ad pœnam damni pertinent, respondentque desertioni Dei, qui est vera lux, gaudium et centrum cordis. Secundò, affligit eos infirmitatibus, paupertate, infamiâ, litibus, adversis casibus, et luctuosâ morte, etc. (ita nimirum illis à rebus creatis solvitur) respondentque pœnis sensûs : quibus si addas impatientias, diffidentias et desperationes quibus vexantur, erit quasi species aliqua inferni. Cùm ergo tot intra et extra nos iræ Dei argumenta percipiamus, cur eum non timebimus, et iram ejus contra peccata non apprehendemus ? Si judex aliquis, qui severitatis suæ et justitiæ reos puniendo frequenter signa dedit, malefactoribus ita horrori sit, ut in ipsius conspectum prodire non audeant; quomodo nos coram Deo apparere audebimus, qui tot ejus et tam frequentes justitiæ effectus tamque manifestos experti sumus?

Considera Quinto, Huic pœnæ aliam in hac vitâ succedere, quæ est mors. Ubi

supponendum, quòd omnibus hominibus certò sit moriendum; verùm incertissimam esse mortis horam, etiamsi hinc spem faciat, quòd post multos annos futura sit, inde spem diuturnioris vitæ præscindat. Ubi ergo ociùs seriusque ea hora venerit, animadvertendum quo in peccatorem Deus rigore utatur, omnibus eum bonis, amicis, officiis et dignitatibus; omnibus suis recreationibus, pulchritudine, et corporis viribus, et tandem, quâ nihil charius est, vitâ ipsâ spoliando: sic eum generali unâ omnium suorum bonorum confiscatione puniens, et ab omnibus, quarum ipse amoribus irretitus vivebat, creaturis violenter eum, absque spe unquam ad illas redeundi, separans; ne vel ad tempus transitoriâ illâ se voluptate oblectare possit. Cùm ergo tali modo à creaturis avellendi simus, quare nunc tantoperè illis adhæremus, nisì fortè ut tum in illâ avulsione plùs doloris et pudoris sustineamus? Quò tum misera illa et infelix anima fugiet? quod tum refugium, quemque protectorem, cùm Deo in judicio particulari tot gravata peccatis offeretur, inveniet? Gravissimè tum accusabitur, quòd invitata dum viveret ad Dei gratiam, et ut ei reconciliaretur, venire contempserit; et tum justè à Deo dese-

retur, quæ Deum jam prior deseruit: sicque à Deo miserè fugabitur expelleturque, nullius unquam intercessione reditura. *Quia zelus ac furor viri non parcet in die vindictæ, neque acquiescet cujusquam precibus.*

Considera Sexto, Hanc pœnam sequi aliam non minùs gravem, quæ est judicium universale: postquam enim Deus creaturas suas tulerit sustinueritque propter Electos, in illo die iram et furorem exacuet in odium adulterii malorum, et in peccatorum, quæ propter illas commiserunt, vindictam. Sicut maritus in die vindictæ quam de adulterio sumit, occidit adulterum, vestes omniaque pretiosa comburit, hortos evertit et destruit, omnemque iram et furorem in omne illud quod injuriæ infamiæque ei irrogatæ quoquo modo particeps fuit, effundit; sic erit in die illâ: huc enim refertur terræ motus, mugitus maris, solis obscuratio, stellarum lapsus, et totius mundi exustio. *Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent?* 2. Pet. 3.

Et, quod mirandum est, cùm omnia

illo die consumentur, sola hominum corpora resuscitabuntur et regenerabuntur; quia cùm maximè participarint de offensâ Dei, eique causam dederint, æquum est ut hoc non solùm luant pœnâ mortis æternæ, sed et vivant, quo mortem eam æternam sentiant. Majorne Dei ira esse potuit, quàm quòd non tantùm vitam tollere, mortemque immittere voluerit, sed quòd mortuis vitam det, ut sic vivâ eos morte puniat? hoc enim modo occidit et consumit, nec tamen mortis ipsius sensum et dolorem tollit. Hinc sequitur Judicis sententia, in quâ de tam variis et multiplicibus peccatis rei facti, omnibus, à maximo usque ad minimum, bene perpensis et examinatis, aliam pœnam non accipient, quàm eam quam ipsi sibi suis peccatis præscripserunt: quæ est 1. à Deo in æternum rejici, quem ipsi spreverunt, et deseruerunt. *Discedite à me maledicti.* 2. Damnum creaturarum sensu percipere, quas ipsi amarunt. *In ignem æternum.*

Considera Septimo, Horrendam istius pœnæ executionem, quæ fiet in inferno per totam æternitatem: ubi maximum tormentum erit, versari in perpetuis tenebris, separari ab ultimo fine, à quo ipsi voluntariè recesserunt, ad quem tum, ut vellent, non poterunt reverti; cum

perpetuo remorsu et dolore, quòd tantum perdiderint bonum, et tam insignes illud consequendi sibi elabi sint passi occasiones. Hinc sequitur pœna sensûs : quâ, justo Dei judicio, creaturæ omnes, quibus in hac vitâ fuit delectatus, ipsum cruciabunt; et sensus, qui ejus voluptatis fuere instrumenta, jam erunt tormenti. Unde magna se offert materia considerandi omnia quæ in hac vitâ valdè affligunt et pungunt sensus : illa enim omnia majore vi et impetu in damnatos in inferno irruent, et hæc est vindicta quam Deus sumet de iis, qui, se spreto, creaturas amplectuntur. Nec hæc tragœdia finem capiet per totam æternitatem.

Considera Octavo, In hac punitione non respicere Deum personas, nec multis opus esse peccatis : unum enim peccatum mortale ad omnia dicta tormenta sufficit. Et in hoc vim facit S. Pater noster in omnibus Punctis Exercitii de tribus potentiis; cùm unicum Angelorum peccatum eos dæmones fecerit; unica primorum parentum inobedientia tantam in mundo stragem ediderit : qui et ipsi easdem illas æternas sustinuissent pœnas, si pœnitentia culpam eam non diluissent. Et propter unicum peccatum mortale, multi jam ardent in inferno : ut hinc certò scia-

mus, cùm tantus sit nostrorum defectuum excessus, et tanta personarum nostrarum inæqualitas, nullam nos vanæ alicujus præsumptionis ansam habere; sed necesse esse, ut per veram pœnitentiam securos nos reddamus.

Finis ergo hujus Exercitii

Primus est, Timor Dei: quia *horrendum est incidere in manus Dei viventis.* ad Hebr. 10.

Secundus, Opportuna ac velox cum Deo reconciliatio, qui nos in gratiam recipere paratus est, juxta illud Jeremiæ 3. *Vulgò dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultrà? Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.*

QUARTUS DIES.

De fine primæ Septimanæ, et initio secundæ.

Finis primæ Septimanæ est, contritio et dolor de peccatis commissis, et animæ purgatio ab iisdem : et sic pertinet ea Septimana ad viam quæ vocatur Purgativa, sicut dicit S. Pater noster in Annot. 10. inter 20. primas. Media, quibus in illâ utimur, sunt, Examen conscientiæ, Confessio, Pœnitentia vel corporis castigatio, et Meditatio. Materia Meditationis est,

1. Finis ultimus in quem creati sumus: quæ est nostræ rectitudinis regula.

2. Finis propter quem omnes reliquæ creaturæ creatæ sunt : quæ regula est recti earum usûs.

3. Multitudo defectuum nostrorum et culparum : considerando nempe quoties ab ultimo nostro fine deviavimus, et creaturis malè usi sumus.

4. Motiva quæ nos excitant ad ea peccata deflenda, sumpta ex eorum turpitu-

dine, Dei magnitudine, et nostrâ vilitate.

5. Pœnæ, et peccatorum punitiones; ut ad Dei timorem excitemur : unde fit progressus ad considerationem mortis, judicii et inferni, de quibus paucis huc usque tractavimus.

Et quamvis aliquando decurrente anno, quibusdam Exercitia illa primæ Septimanæ cum otio peragere conveniat tanto tempore, quantùm necessarium est ad eorum effectum consequendum, ut dicitur Annotat. 4. inter 20. primas; iis tamen qui ad perfectionem tendunt, non expedit ut multùm et ordinariè se in illis exerceant: timendum enim, ne quidam, nimiùm temporis illis Exercitiis impendentes, eò quòd sensibilem magìs gustum et devotionem in iis sibi videantur percipere, graviter decipiantur. Verùm quòd in istis Meditationibus quidam ad majorem devotionem et affectu magìs sensibili excitentur, hoc contingit, quia timor et dolor faciliùs menti imprimuntur, et incipientes magìs movere solent quàm alii magìs spirituales et utiles affectus; quos ut consequantur, necesse est se in secundâ Septimanâ exerceant.

Quia verò ordinariè in aliquos semper defectus labimur, ideò assiduè necessarium est Exercitium aliquod viæ purga-

tivæ : hinc quotidie examine conscientiæ utimur, tamquam brevi aliquâ summâ Exercitiorum primæ Septimanæ. Quia ex quinque quibus constat Punctis, primum, quod est gratiarum actio, spectat ad ultimum finem, et ad obligationem eum quærendi, cùm assiduè tot beneficiis ad se nos allicere Deus non cesset. Tertium Punctum spectat ad examen quotidianorum defectuum; quartum ad motiva nos excitantia ad dolorem peccatorum, et timorem Dei, ut de iis verè dolere possimus, quæ omnia, ut diximus, ad primam Septimanam spectant. Quintum verò, quod est emendationis propositum, pars est contritionis, et spectat ad secundam Septimanam, quæ ad emendationem et profectum spiritualem excitat. Quotidie itaque in examine debent renovari compunctio et boni affectus, propositaque primæ Septimanæ : in quem finem expediet ad manum habere puncta aliqua et considerationes, quas in illâ Septimanâ quisque expertus sit sibi profuisse.

Præcipuus, quem ex primâ Septimanâ colligere debemus, fructus est, intelligere quàm nobis necessarium fuerit ut à Christo redimeremur : alioquin tota Adæ massa sententiâ mortis et damnationis jam erat prostrata; quam in superioribus

Meditationibus peccatoribus, qui gratiam illam redemptionis rejiciunt, minati sumus. Ita ut omnes universim nati simus in culpâ; omnes etiam generatim vixissemus multis frequentibusque culpis obnoxii, objecti malitiæ invidiæque dæmonum, et post vitam hanc turbidam atque inquietam, morituri eramus, et futuri socii dæmonum in pœnis atque igne æterno, qui illis paratus est. Quod cùm ita sit, cùm ad pœnitentiam invitamur, et reconciliatio nobis offertur, vitaque æterna promittitur; certum est, si aliquid lucis et judicii humani habemus, oculos nobis aperiendos, ut clarè videre possimus unde nobis ea gratia proveniat, et porta illa spei aperta sit: et videbimus, quòd aliunde eam non habeamus, quàm per solum Jesum Christum Dominum nostrum, qui pretioso suo Sanguine debita culpis nostris contracta liberaliter solvit, et auxilium gratiæ quo gloriam mereremur, nobis impetravit, perfectè sic officium Redemptoris explendo; et verbo magìsque suo exemplo, quà nobis incedendum esset, docuit, ne rursum in hostium nostrorum manus relaberemur, sic Magistri munus obiens, quod et ipse insinuat Joan. 13. *Vos vocatis me Magister, etc.*

Tractando insuper de officio, quod Salvator noster assumpsit, Magistri, sollicitè considerandum nobis est iter quod nobis verbo et exemplo ostendit, ut non aberremus; quod ad secundam Septimanam pertinet. Quia verò Redemptor noster CHRISTUS se lucem mundi vocat, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris;* ideò via illa, quam ut ipsum sequamur inimus, vocatur via lucis, vel via quæ illuminat, et idem est quod via illuminativa. Deinde considerandum est, quòd tota Christi doctrina et exempla eò tendant, ut perfectè noverimus Deum laudare et honorificare, eique obedire, et bene uti creaturis: et eâ de causâ quoque inter alias factus est homo; *Et cum hominibus conversatus est.* Baruch 3. ut per se in usu visibilium creaturarum bonum earum usum nos doceret. Et quia, ut proverbium dicit, Si me restituas loco in quo erravi, errare desinam: sic ex quo Christus Salvator in hæc inferiora descendit, usque ad exitum, clarè patet, quòd omnis hominum cæcitas et error ex cæco et indebito creaturarum amore provenerit; omneque ejus bonum et reformatio in amoris et affectûs istius ab iis avocatione consistat, indifferenter se ad omnes habendo, quo ab ultimo suo fine non

aberret. Et hæc est conclusio quæ ex fundamento colligitur. Docuit deinde nos, ut, quantùm in nobis est, honores, divitias lautamque tractationem fugiamus, et, ad suî imitationem et exemplum, omnia contraria quæramus. Et hæc via regia sanctæ Crucis, quam signatam, et peculiari modo in vitâ et morte suâ notatam suis Electis reliquit. Post hæc, fines secundæ Septimanæ sunt,

Primus, Cognoscere, æstimare, et amare Christum Dominum nostrum; et in hoc ejus amore, æstimatione, reverentiâ et notitiâ quotidie magìs proficere.

Secundus, Eum, quantùm nobis id possibile est, imitari, præcipuè in paupertate, doloribus, infamiâ et Cruce; non tantùm in rebus imperatis aut vetitis ejus sanctæ voluntati obtemperando, quod proprium est primæ Septimanæ, nec ea tantùm quæ consilii sunt sequendo et amplectendo, sed et in iis quæ libera nobis relinquuntur, quia claram super illis Dei voluntatem non habemus, nihil, nisì quod manifestè ad majorem Dei gloriam, majusque suæ Majestatis obsequium futurum sciemus, eligendo.

Media eos fines consequendi sunt, Meditatio de Christo Domino nostro, Regulæ et Exercitia electionum, quibus addi potest

examen particulare, etsi illud commune sit omnibus quatuor Septimanis.

MEDITATIO

DE REGNO CHRISTI.

Hæc Meditatio in libro Exercitiorum habetur extra numerum Meditationum secundæ Septimanæ, et sic est quasi fundamentum omnium earum. Continet partim finem totum Incarnationis et vitæ doctrinæque Jesu Christi Domini nostri : qui fuit, toti mundo innotescere ; homines, quò suum regnum fierent, in suam reducere potestatem, sibique subjicere; omnes etiam in partem istius suæ expeditionis vocare; quò sibiipsis saltem, suæ sensualitati et amori proprio, per obedientiam Dei, bellum inferant. Partim continet summam, in quâ perfectio hominis consistit: quæ est Christi imitatio, quæ majorem aut minorem perfectionem, variosque ejus gradus, prout magìs aut minùs perfecta fuerit Christi imitatio, in se concludit.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri sic habet :

CONTEMPLATIO REGNI JESU CHRISTI EX SIMILITUDINE REGIS TERRENI SUBDITOS SUOS EVOCANTIS AD BELLUM.

ORATIO PRÆPARATORIA *fiet more supradicto.*

PRÆLUDIUM PRIMUM *ad constructionem loci nunc erit, ut spectare nos imaginemur Synagogas, villas et oppida, quæ prædicans Christus pertransibat; et sic de locis aliis.*

SECUNDUM, *ad gratiam poscendam pertinens. In hac parte erit, petere à Deo, ne obsurdescamus vocante nos Christo, sed ad sequendum ac obtemperandum promptissimus.*

PUNCTUM PRIMUM *esto, proponere mihi ob oculos humanum Regem divinitus electum, cui principes et populi omnes Christiani reverentiam et obsequium præstare debeant.*

SECUNDUM *est, imaginari, quòd audiam illum Regem loquentem ad omnes subditos: In animo est mihi regiones infidelium universas ditioni meæ subjicere; quicumque*

igitur comitari me velit, paratus sit oportet non alio uti victu, vestitu rebusque aliis quàm me utentem conspexerit. In iisdem quoque laboribus, vigiliis et casibus cæteris, mecum persistendum erit; ut particeps fiat victoriæ et felicitatis unusquisque, prout laborum ac molestiarum socius exstiterit.

Tertium *est, considerare quidnam respondere debeant Regi amantissimo et liberalissimo fideles subditi; et quàm promptè ad omnem ejus voluntatem offerre se accinctos: contrà verò, si quis non obaudiret, quanto apud homines universos vituperio dignus esset, atque quàm ignavus miles æstimandus.*

Pars secunda hujus Exercitii consistit in collatione similitudinis inter dictum Regem et Dominum Jesum Christum *circa triplex illud Punctum.*

Primò sic applicabimus exemplum. Si terrenus ille Rex cum bellicâ suâ evocatione dignus est cui attentio et obsequium præstetur; quantò magis Christus Rex æternus, mundoque toti conspicuus? qui singulos ad se his invitat verbis: Mea hæc est justissima voluntas, totius mundi dominium mihi vendicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare: proinde quisquis eò

mecum venire cupit, laboret mecum necesse est, labori enim præmium respondebit.

Secundò ratiocinabimur, neminem fore sanæ mentis, qui non cupidissimè Christi servitio se totum offerat et addicat.

Tertiò judicandum erit, quòd ii qui se obsequiis illius prorsus duxerint mancipandos, non seipsos tantùm ad laborum tolerantiam, verùm etiam majora et præclariora quædam munera oblaturi sint, expugnatâ carnis, sensuum amorisque proprii et mundani rebellione; unde respondebit quisque in hunc ferè modum: En, ô Rex supreme ac Domine universorum, tuâ ego, licèt indignissimus, fretus tamen gratiâ et ope, me tibi penitus offero, meaque omnia tuæ subjicio voluntati, attestans coram infinitâ bonitate tuâ, nec non in conspectu gloriosæ Virginis matris tuæ, totiusque curiæ cœlestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut (dummodo in majorem laudis tuæ et obsequii mei proventum cedat) quàm possim proximè te sequar et imiter in ferendis injuriis et adversis omnibus cum verâ tum spiritûs tum etiam rerum paupertate; si, inquam, sanctissimæ tuæ Majestati placeat ad tale me vitæ institutum eligere, atque recipere.

Declaratio dictæ Meditationis.

Finis hujus Meditationis est, propositum et decretum firmum imitationis Christi Domini nostri, illumque cum maximâ perfectione, et quàm quis potest proximè, sequendi, prout cum divinâ gratiâ poterit, sensualitati et amori proprio bellum indicendo; ad quod Christus Dominus noster omnes generaliter vocat. Exercitium hoc, præter Orationem præparatoriam, duo præambula habet, et duas partes: quarum prima est, exemplum et similitudo Regis temporalis subditos suos evocantis ad bellum; secunda, applicatio istius similitudinis ad Christum Dominum nostrum. Et singulæ partes habent tria Puncta.

Prima pars *hujus Meditationis.*

In primo Puncto nota qualitates Regis hujus humani qui hìc proponitur. Prima est, Princeps à Deo electus, legitimus. Secunda, Rex universalis omnium Principum, populorum, et omnium Christianorum. Tertiò, Considerare in eo debemus prudentiam, benignitatem, liberalitatem, clementiam, justitiam, et de omnibus suis

subditis providentiam, reliquasque proprietates quæ Regi à Deo super tot subditos constituto conveniunt.

In SECUNDO considera ejus Regis discursum : et nota Primò, quàm rationabilis sit ejus petitio : ipse enim non vult manere in deliciis et commoditatibus suæ Aulæ, sed ad bellum vult primus procedere; nec delicatiùs vult ipse tractari quàm ipsi sui milites; imò desiderat, milites sibi Regi pares sint in comedendo, bibendo, ipsoque vestitu : nec se belli periculis eximere, aut ad tutiora loca se conferre vult, solâ suâ omnes præsentiâ animare desiderans; quinimo loca maximè periculosa hostibusque exposita præeligit, vultque interdiu in omnibus laboribus, noctu verò in vigiliis excubiisque primus inveniri. Et quamvis inter Reges hìc in terrâ vix sit invenire qui hoc faciat; ponuntur tamen peculiariter hìc omnes istæ circumstantiæ, ut oculi aperiantur in accuratâ consideratione exemplorum Christi Domini nostri, et principium detur ejus voci et vocationi, quando dixit: *Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit.* Joan. 12.

Nota secundò, Quòd in promissione hac Regis, quâ suis militibus partem vic-

toriæ addicit, prout quisque laborum et molestiarum socius exstiterit; jam incipiat apparere differentia graduum qui in perfectione sunt : illi enim consistunt in majori vel minori Christi imitatione, prout plùs aut minùs socius quis laborum fuerit, cui respondent varii gradus gloriæ in cœlo.

In TERTIO PUNCTO considera, quomodo ab affectibus et sensibus humanis, qui nobis familiariores sunt et magìs noti, anima ascendere debeat ad affectus et sensa spiritualia, quæ magìs secreta sunt et à sensibus remotiora : et ideò quando quis illis similitudinibus utitur, multùm refert intelligere, quid in talibus casibus et rebus humanis evenire soleat, gradum ab iis ad divina faciendo. Atque ita in Exercitio præsenti, ut quis ex eo fructum referat, videatur cum attentione, Primò, Quid dicant boni et fideles subditi; et quid soleant aut debeant respondere ad tam justam Regis humani et tam liberalis petitionem. Secundò, si aliquis reperiretur qui Regem suum in tali occasione sequi nollet, haberetur infamis, vecors, infidelis, perversus miles, et omni in hoc mundo vituperio dignus. Quam in rem notanda sunt Uriæ verba ad Davidem, 2. Reg. 11. *Arca Dei et Is-*

raël et Juda habitant in papilionibus, et dominus meus Joab, et servi domini mei super faciem terræ manent, et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. Et quod respondit Ethai Gethæus eidem David, cùm exiret fugiens à facie Absalom, volenti sibi persuadere, ne se comitaretur in illo periculo, 2. Reg. 15. *Vivit Dominus, et vivit dominus meus Rex; quoniam in quocumque loco fueris, domine mi Rex, sive in morte, sive in vitâ, ibi erit servus tuus.* Si hoc dixerit externus, quid deberet dicere subditus naturalis?

SECUNDA PARS *ejusdem Meditationis.*

SECUNDA hujus Exercitii pars consistit in applicatione Exercitii dicti de Rege temporali ad Christum Dominum nostrum; et continet tria Puncta, quæ primis dictis respondent.

PRIMUM PUNCTUM. Hìc considerari debet, quomodo Christus Dominus noster sit Rex à Deo electus. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Psal. 2. Et licèt regnum ejus non sit de hoc mundo, ut ipse dicebat Pilato, *Regnum meum non est de*

hoc mundo, Joan. 18. quia non est temporale, sed spirituale, nec aliquam felicitatem temporalem promittit, sed æternam : nihilominùs tamen venit ille Dominus gesturus bellum, et regnum sibi acquisiturus, veritati intellectum omnium, et voluntatem obedientiæ mandatorum Dei subjiciendo, homines à potestate tenebrarum, et à tyrannicâ peccati suarumque cupiditatum servitute liberans. *Ut non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Rom. cap. 6. Et quamdiu mundus durabit, non deerunt hostes dicti Regis imperio rebelles, donec tandem omnes partim amore et obedientiâ, partim severitate et pœnis sibi violenter subjiciat. 1. Cor. 15. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo et Patri, etc. omnia enim subjecit sub pedibus ejus.* Ad hanc militiam vocatur à Domino totus mundus, et singuli in particulari, ut bellum saltem inferant sensualitati et amori proprio, donec perfectè ille Dei voluntati subjiciatur; sicut dixit, Matth. 10. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium, etc.* Porrò in hac pugnâ, quâ mortales subjiciuntur veritati et obedientiæ mandatorum Dei, Christus Rex noster semper difficil-

lima periculisque maximè exposita aggredi solitus est, in continuâ vivendo contradictione, ut etiam vitam suam in Cruce exponeret, ad milites suos ne deficerent animandos : hinc nos ad suî imitationem invitat, ut dicitur Joan. 12. *Qui mihi ministrat, me sequatur.* et Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem ; ut ne fatigemini, animis vestris deficientes, etc.* Secundùm hoc Jesus Christus Dominus noster exemplar est et idea in quam oculi nobis conjiciendi : et tantò erit illustrior nobis victoria, quantò ei magìs similes fuerimus ; eòque plùs gloriæ nobis exspectandum, quò plùs de ejus laboribus participaverimus. Roman. 8. *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

Applicando hæc omnia ad propositum nostrum, si subditi sibi honori ducant, quòd similes esse, et in partem aliquam laborum sui Regis temporalis venire possint, spe aliquâ victoriæ allecti ; pugnam detrectabimus nos ignavi et vecordes sub signis Regis nostri, tam illustri nobis exemplo præeuntis, qui omnes nobilitate et excellentiâ superat ? cujus tam sunt gloriosæ expeditiones, præmiaque omnium Regum donaria coronasque excellunt ?

Quomodo à paupertate et contemptu ita nobis timemus? cur offendimur, si ita nos tractet mundus sicut olim Christum Dominum nostrum tractavit? Hanc rationem, utpote summi momenti, Salvator noster frequenter suis discipulis inculcare voluit. Joan. cap. 15. *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur : si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.* Et idem Dominus eos qui hanc ejus contemnunt imitationem, non vult vocari suos, sed se indignos ait. Matth. 10. *Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.*

In SECUNDO PUNCTO fiat vis in eo quod dicit, quòd, auditâ hac ratiocinatione, quotquot sanum habent judicium, rationeque utuntur, lubentes se totos laboribus istis consecrabunt : quia quod hìc petitur, est oblatio et sacrificium ipsiusmet personæ, et quidem totius, nullâ aut re aut potentiâ reservatâ. Et ut hoc sic fiat, sufficit habere judicium, et ratione uti : quia re illâ tam benè intellectâ, manifestum est, defectum esse judicii, si contrarium faciat. Et experientia hoc in omnibus qui sani judicii fuerunt, quosque Deus suâ luce illustravit, clarè confirmat:

nam tanta huic vocationi inerat efficacia, ut infinita ferè Gentium multitudo ad hanc Christi imitationem excitata sit; hinc postmodum Apostolorum prædicatione tot hominum millia ad fidem conversa sunt, quos sequentibus tum annis innumeri Martyres, gloriosi Confessores, purissimæ Virgines et sancti Eremitæ secuti sunt: qui ex omni statu, et in omni ætate, in tantis laboribus et persecutionibus imitati sunt Salvatorem. Hebr. 12. *Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem* JESUM, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dexterâ sedis Dei sedet.* Quibus verbis videtur Apostolus summam hujus Exercitii descripsisse.

In TERTIO PUNCTO (in quo dicitur, *Non seipsos tantùm ad laborum tolerantiam, verùm etiam majora et præclariora quædam munera oblaturi sunt, expugnatâ carnis, sensuum, amorisque proprii et mundani rebellione,*) Notandum, quòd etiamsi in discursu suo, quem Rex facit, videatur vocare Centuriones et milites, ut in mundi expugnatione subjiciendisque

suæ et Patris obedientiæ hostibus se juvent, designans in hoc Ministros Evangelicos, qui ad animarum conversionem multùm conferunt; tamen clarè ex hoc loco intelligitur, quòd bellum illud in eo inchoëtur, ut quisque sibi, hoc est suæ sensualitati, amorique proprio et mundano bellum indicat : quia certissima regula est, et quasi primum principium hujus doctrinæ, ultima illa quâ secunda Septimana finitur sententia : *Hoc unusquisque persuasum habeat, tantùm se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantùm ab amore sui ipsius et commodi proprii affectione sese abstraxerit.*

Notandum secundò, Quòd oblatio illa quæ fit in tertio Puncto, verbis tam efficacibus et tanti fervoris, nullo modo sit votum; nec ea fuit intentio S. Patris nostri; sed tantùm fervens desiderium, et propositum, et deliberata voluntas imitandi Jesum Christum Dominum nostrum, illumque per viam crucis sequendi : et hoc propositum fructus est hujus Exercitii, et id est quod initio ejus in secundo Præludio petebatur, quod est gratia, ne ejus vocationi obsurdescamus, et prompti alacresque simus ad eum sequendum, ejusque voluntati obtemperandum; quia supponitur ex Meditationis discursu, quòd

ejus vocatio sit ad tollendam crucem, juxta id quod dixit Matth. cap. 16. *Si quis vult venire post me, etc.*

Notandum tertio, Quòd illa crux Salvatoris in hac et sequentibus Meditationibus secundæ Septimanæ ad duo reducatur; primò, ad humilitatem in ferendis injuriis; secundò, ad paupertatem in rerum temporalium contemptu. Et hæc paupertas duplex est: quarum una in affectu consistit, repellendo à se divitiarum amorem; altera in effectu, actualiter omnibus rebus renuntiando. Sic etiam una est humilitas cordis, quæ consistit in contemptu honoris; altera actualis, quando reipsâ aliqua humiliatio vituperatioque subeunda est.

His positis, meliùs intelligetur quod S. Pater noster prætendit in tertio hoc Puncto: quia cordis humilitas et paupertas spiritûs universaliter ad omnes Christianos spectant, à se omnem honoris et divitiarum affectum rejiciendo, eumque, quantùm in se est, in iis quæ his contraria sunt collocando; et hinc ab omnibus generaliter petitur, ut se hoc modo ad amorem Crucis offerant. Verùm omnibus non convenit paupertas actualis, et reipsâ injurias et contumelias ferre; sed eas ferre, quando Deo placuerit nos earum

occasionibus objicere, et nos divina Majestas ad paupertatis actualis statum vocare dignata fuerit : quod tunc constabit, quando fiet electio. Et ideo hìc à nobis aliud non petitur, quàm ut, quantùm in nobis est, magìs inclinemur, nosque offeramus ad injurias et ad paupertatem, quò perfectiùs Christum Dominum imitari possimus : et illam dispositionem in nobis hoc Exercitium requirit (etsi in tempus electionis et conclusionis rejiciendo) eamque deliberationem, an ad majus Dei obsequium sit, actualem paupertatem eligere, et nos offerre ad infamiam et humiliationem cum effectu.

QUINTUS DIES.

De Exercitiis secundæ Septimanæ.

In secunda Septimanâ, sicut jam diximus, non tantùm sunt Meditationes de vitâ Christi Domini nostri, sed etiam Exercitia pro bonâ electione faciendâ. Electionem autem bonam et sanam vocamus, bene de rebus nostris deliberare, non per fines aliquos obliquos aut ex inordinatis passionibus provenientes, sed propter solum et purum Dei obsequium; et negotia nostra concludere propter fines et motiva tam sublimia et spiritualia. Et hic est pretiosus ille vitæ spiritualis fructus, et finis hujus Libri Exercitiorum, ut ex ejus titulo apparet, et ex primâ Annotatione; et ad quem se disponere incipit is qui Exercitia aggreditur in principio et fundamento.

Materia electionis semper sit oportet de rebus bonis, inter quas, vel ratione ipsarum rerum, vel ratione circumstantiarum temporis, aut loci aut personarum, nobis non constat, quæ illarum

sit melior; unde nascitur ratio deliberandi atque eligendi: quia quando alterum eorum quæ facienda occurrunt, est manifestè malum; vel quando utrumque est bonum quidem, sed alterum, omnibus consideratis circumstantiis, evidenter est melius, (exempli causâ, sæpè contingit ut per nostram fragilitatem renuamus sequi id quod bonum est, aut etiam melius,) tum piis aliquibus Exercitiis et Meditationibus juvandi sumus. Verùm in tali casu nullus deliberationi aut electioni locus relinquitur: quia cùm de meliori securi sumus, tempus est illud potiùs executioni mandandi quàm consultandi.

Materia electionis primò est status vitæ pro iis qui eum non habent; pro iis verò qui jam in statu bono sunt, res omnes particulares ad eum spectantes in ordine ad reformationem, vel ut quis se in eo perficiat; qualia sunt: An acceptandum sit hoc officium, aut beneficium. An tot debeat habere famulos, plures aut pauciores. An tales vel tales sumptus facere debeat. An tantam eleemosynam facere debeat, et cui, et quomodo. Et his similia. Et in particulari, loquendo de nobis qui in Religione vivimus, Superiores magnam materiam electionis habent in omnibus rebus quæ ipsorum dispositioni et arbi-

trio subjacent, idque præcipuè in iis quæ pro consultatione aliis proponi non possunt, et per Orationem resolvi debent, argumenta pro et contra in Dei præsentiâ ponderando, seque adjuvando per Exercitia et modos electionis.

Subditi etiam magnam in rebus suis, quæ ipsorum maximè discretioni relinquuntur, per eadem Exercitia invenient lucem, verbi gratiâ ad resolvendum, num Superiori quidquam proponendum vel non proponendum sit circa id quod eis imperatum est; ad quod, juxta Regulam, Oratio præmitti debet. Idem facere debent in aliis rebus particularibus, quale est circa tempus et modum Exercitiorum spiritualium, circa occupationes tam domesticas quàm ministeria cum proximo, in quibus ab obedientiâ ita non determinantur, quin circa eorum executionem non aliqua eorum relinquantur arbitrio. Item hac electione utendum, ut quis seligat materiam examinis particularis, et media convenientia vel ad defectus emendandos, vel ad virtutes acquirendas. Tandem, profectus eò major erit, quò majori maturitate sanioreque electione in suis quis rebus processerit, quòque minùs se in absurda à suo senso, vel ab occasione, aut suarum inclinationum torrente, abripi sinat.

Rectus harum electionum usus multis obnoxius est difficultatibus.

Primò, Ut quis benè intelligat ac ponderet circumstantias negotiorum particularium, et quæ ex iis oriri possunt commoda et incommoda, et benè perspectam habeat propriam dispositionem, sciatque quâ vel passione aut spiritu ad aliquid feratur, necessaria est magna lux et capacitas ex parte intellectûs.

Secundò, Non minùs difficile est, eam, quæ ex parte voluntatis necessaria est, consequi dispositionem, quæ debet esse vera et perfecta ad omnes res indifferentia, quantùm in me est, quin potiùs propensio aliqua ad ea quæ appetitui contraria sunt, et major paupertatis, ignominiæ et crucis Christi Domini nostri amor, ne me aliter sentientem creaturarum amor excæcet; et ut liberiùs possim considerare rationes pro et contra, et faciliùs sinam me duci iis quæ ad majorem Dei Domini gloriam, ejusque sanctum obsequium futura judicabuntur.

Tertiò, Quia licèt aliquando quis sibi persuadeat, se in Meditatione eam quam desiderat, quæque necessaria est, consecutum esse animi dispositionem; cùm tamen electio jam vicina et quasi proxima videtur executioni, tum occurrunt diffi-

cultates, et voluntas, quia obliqua et consultationis tempore non bene disposita est, turbas et tenebras intellectui offundit : et si nihilominùs intellectus rectè judicet, summam tamen voluntas percipit difficultatem, ut illi se resolutioni conformet; unde summæ et graves anxietates, tædia et spiritûs agitationes provenire solent.

Ut autem exercitanti se in hac suâ oppressione succurratur, præscribit varia S. Pater noster media Meditationum, præparationum, temporis et modi eligendi : quia sicut is cui à Medico medicina aut purgatio præscripta est, primò disponitur per sirupos et julapia, et ad hoc tempus captatur conveniens, apponuntur ei boni odores et confortantes; et hæc omnia necessaria sunt, ne turbentur humores : idem planè dicendum est de die, quo quis se in difficili aliquo et magni momenti negotio resolvere debet, præcipuè si id inclinationi naturali et affectui contrarium sit. Facilia enim et ordinaria cum minore apparatu resolvuntur.

Porrò in talibus electionibus difficilioribus, debet quis Primò considerare tempus; quod est, ne concludat, cùm se turbatum aut passione aliquâ irretitum sentit; quia ejusmodi conclusiones, eo

tempore quo affectus alicujus tristitiæ aut iracundiæ dominantur factæ, felicem nequeunt habere successum : ideò exspectandum est tempus divinæ illustrationis ; vel saltem tempus sit serenum et pacatum, et quo animæ potentiæ sint liberæ et expeditæ, ut quamque rem æquâ lance expendant pro rationibus quæ se offerunt pro et contra ; ut colligitur ex eo quod S. Pater noster dicit de tempore electionis.

Secundò, cavendum, ne desit tempus ordinarium Meditationi de vitâ Christi Domini ; sed Exercitia de electione diversas occupent horas : quia illæ de Christo Meditationes sunt velut confortativa et boni odores quibus cordis sustentatur vigor, et succus devotionis conservatur. Si enim totum tempus eo die impenderet Exercitio electionis, citò se aridum perciperet, deficeretque.

Tertiò, et præcipuè, curandum est, ut ille qui eligit, benè sit dispositus et præparatus ; ad quod eum juvabunt quatuor Exercitia, quæ in hac Septimanâ aliis Meditationibus mixta inveniuntur. Primum, de Regno Christi ; secundum, de duobus vexillis ; tertium, de tribus hominum classibus ; quartum, de tribus humilitatis gradibus : et hæc sunt velut quatuor electuaria, quæ suaviter animam

disponunt ad veram et solidam electionem sine aliquâ anxietate faciendam.

Ut autem hoc bene intelligatur, sciri debet, quòd ea sit bona hominis dispositio ad electionem bene faciendam, quando perfectè resolvit, et decrevit fugere quod apertè malum est, et, quod constat esse melius, sequi; hoc enim, ut diximus, non cadit in electionem. Ut quis primum obtineat, convenit scire, quòd ad fugienda mala dirigantur omnia Exercitia primæ Septimanæ; et ad secundum obtinendum, quod est, omnia amplecti quæ manifestè meliora sunt, dirigantur quatuor illæ, de quibus suprà, Meditationes secundæ Septimanæ: quia in primâ, quæ est de Regno Christi, excitatur firma Christum sequendi voluntas; et illa paulatim in aliis tribus magìs et magìs perficitur, ut suo loco videbimus.

MEDITATIO

DE DUOBUS VEXILLIS.

Hoc die fiet hæc de duobus vexillis Meditatio; quam S. Pater noster in suo Libro ponit pro quarto die Septimanæ secundæ.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri sic habet :

QUARTA DIE FIET MEDITATIO DE DUOBUS VEXILLIS : UNO QUIDEM JESU CHRISTI OPTIMI NOSTRI IMPERATORIS, ALTERO VERO LUCIFERI, HOSTIS HOMINUM CAPITALISSIMI.

ORATIO PRÆPARATORIA *fit secundùm morem.*

PRÆLUDIUM PRIMUM *erit historica quædam consideratio Christi ex unâ parte, et ex alterâ Luciferi; quorum uterque omnes homines ad se vocat, sub vexillo suo congregandos.*

SECUNDUM *est ad constructionem loci, ut repræsentetur nobis campus amplissimus circa Jerosolymam; in quo Dominus* JESUS CHRISTUS, *tanquam bonorum omnium summus Dux, assistat. Rursum alter campus in Babyloniâ, ubi se Lucifer malorum et adversariorum ducem exhibeat.*

TERTIUM, *ad gratiam petendam illud erit, ut poscamus exploratas habere fraudes mali ducis, invocatâ simul divinâ ope ad eas vitandas; veri autem optimique Imperatoris Christi agnoscere mores ingenuos, ac per gratiam imitari posse.*

PUNCTUM PRIMUM *est, imaginari coram oculis meis, apud campum Babylonicum ducem impiorum in cathedrâ igneâ et fu-*

mosâ sedere, horribilem figurâ, vultuque terribilem.

SECUNDUM *est, advertere quomodo convocatos dæmones innumeros per totum orbem spargat ad nocendum, nullis civitatibus et locis, nullis personarum generibus immunibus relictis.*

TERTIUM, *attendere cujusmodi concionem habeat ad ministros suos, quos instigat; ut, correptis injectisque laqueis et catenis, homines primùm trahant (quod ferè contingit) ad cupiditatem divitiarum, unde posteà faciliùs in mundani honoris ambitionem, ac demum in superbiæ barathrum deturbari queant.*

Atque ita tres sunt præcipui tentationum gradus, in divitiis, honoribus, et superbiâ fundati: ex quibus in alia vitiorum genera omnia præceps fit decursus.

SIMILITER EX OPPOSITO CONSIDERANDUS EST SUMMUS OPTIMUSQUE NOSTER DUX ET IMPERATOR CHRISTUS.

PUNCTUM PRIMUM *erit, conspicari Christum in amœno campo juxta Jerosolymam, humili quidem constitutum loco, sed valdè speciosum formâ, et aspectu summè amabilem.*

SECUNDUM *autem est, speculari quo pacto ipse mundi Dominus universi electos*

Apostolos, discipulos, et ministros alios per orbem mittat; qui omni hominum generi, statui et conditioni doctrinam sacram ac salutiferam impartiant.

TERTIUM, *auscultare concionem Christi exhortatoriam ad servos et amicos suos omnes in opus tale destinatos, quá eis præcipit ut juvare studeant quemlibet, ac primò inducendum curent ad spiritualem affectum paupertatis, et insuper (si Divini obsequii ratio et electio cœlestis eò ferat) ad sectandam actu ipso veram paupertatem; deinde, ut ad opprobrii contemptûsque desiderium alliciant, unde humilitatis virtus enascitur. Et ita tres consurgunt perfectionis gradus, videlicet paupertas, abjectio sui, atque humilitas, quæ ex diametro divitiis, honori, et superbiæ opponuntur, ac virtutes omnes statim introducunt.*

Colloquium posteà formandum erit ad Virginem beatam, implorandaque est per eam à Filio gratia, ut recipi possim et manere sub vexillo; idque primò per spiritualem tantùm paupertatem, aut etiam in rerum exspoliatione sitam, (si quidem ad eam me vocare atque admittere dignabitur;) deinde per abjectionem quoque, seu ignominiam, ut ipsum imiter viciniùs, deprecando tamen culpam aliorum, ne

contemptus meî tam in alicujus detrimentum quàm in offensam Dei cedat. Terminabitur primum hoc colloquium per Ave Maria.

Secundum colloquium ad Christum hominem dirigitur, ut mihi à Patre impetret illud idem; subdeturque in fine Oratio, Anima Christi.

Tertium ad Patrem, ut annuat petitioni, cum Pater noster.

Declaratio hujus Meditationis.

Finis hujus Meditationis est, suppositâ voluntate, quam in primâ Meditatione excitavimus, sequendi Christum Dominum nostrum, scire in quibus rebus particularibus illum imitari debeamus; et posito quòd nos ad bellum vocet, scire in quibus rebus et cui debeamus bellum indicere. Hoc nos docet S. Pater noster sub similitudine duorum Ducum, et duorum vexillorum : quia, ut erat miles, in militaribus semper exercitiis educatus, hoc ei sic revelavit, eumque docuit Deus Dominus noster per istam allegoriam sub nomine Ducum, militum, exercitûs, et vexillorum. Et, sicut ipse postmodum retulit (et ex ejus ore referre solet P. Everardus Mercurianus quartus Præpositus

Generalis) in isto Exercitio detexit et revelavit ei Deus totam ideam, institutum et finem nostræ Religionis, et nomen quod assumere deberet SOCIETATIS JESU, id est, militum qui sub vexillo Christi Domini nostri contra Luciferum, Dei nostrumque capitalem hostem, militaturi erant. Illa similitudo prætereà valdè opportuna est ad detegendos contrarios spiritus qui intra nos pugnant, primamque nobis ingenerandam lucem pro discretione spirituum necessariam; hoc est, ut distinguamus inter bonum et malum; ut huic resistamus, et illi obediamus, ac sequamur.

In PRIMO PRÆLUDIO loco historiæ ponatur.

Primò, Quod sint duo Duces, quorum alter est Christus Dominus noster, summus Imperator et Dux noster; alter est Lucifer, capitalis humanæ naturæ hostis: inter quos tanta est differentia, quantam ipse Christus declaravit Joan. 10. *Fur non venit nisì ut furetur et mactet, et perdat; ego veni ut vitam habeant, et abundantiùs habeant.*

Secundò, Quòd duo isti Duces, unus tam amicus, et alter tam hostis noster, inter se habeant bellum, non pro civitatibus, nec castris, nec regnis terræ, sed

pro homine, et super jure quod uterque in illum sibi vindicat, hoc est pro me; uter eorum majus imperium in me sit habiturus.

Tertiò, Quòd duobus illis Ducibus talis sit de homine pugna, quâ non violenter eum subigant, sed alliciant trahantque voluntatem : et ideò Jesus Christus Dominus noster omnes suâ vocatione et secretis suis inspirationibus vocat et allicit, ut se suo vexillo subjiciant; et Lucifer eodem modo eos sub sua signa vocare conatur. Et tandem, ista est hujus historiæ summa, quòd singuli Duces hominem vocent inducantque, ut liberè sibi se subjiciat obediatque.

In secundo Præludio nihil est peculiare, nisi quòd S. Pater noster, quò locum det istis duobus exercitibus et vexillis, campum Jerosolymitanum exercitui bonorum militanti sub vexillis Christi Domini nostri attribuerit, et campum Babylonicum exercitui malorum sub signis Luciferi : quia sacra Scriptura solet assignare civitatem Jerosolymitanam bonis, et Babylonicam malis.

In tertio Præludio continetur finis totius hujus Meditationis, qui consistit in eo, ut à Deo Domino nostro obtineat quis donum discretionis spirituum bo-

norum et malorum, et vires, quò malis bellum indicat, et bonis obediat : et hâc ratione tertium hoc Præludium convenit cum titulo quem S. Pater noster præfigit Regulis discretionis eorum, ubi sic dicit : *Regulæ aliquot ad motus animæ, quos diversi excitant spiritus, discernendos, ut boni solùm admittantur, et pellantur mali.*

Meditatio habet duas partes; una est de vexillo Luciferi, et secunda de vexillo Christi Domini nostri : et quæque pars habet tria Puncta quæ sibi invicem respondent.

Prima pars *Meditationis.*

Primum Punctum. Formanda imaginatio de Lucifero cum omnibus circumstantiis quæ hìc notantur. Primò, Quòd sit in campo Babylonico. Secundò, Quòd ascenderit ad altiorem cathedram. Tertiò, Quòd ea cathedra plena sit igne. Quartò, Quòd ex eâ prodeat multùm fumi. Quinto, Quòd sit figurâ horribilis, vultuque terribilis. Ista enim sunt signa quæ ad ejus nos cognitionem ex vultu perducant, et ut nobis ab eo cavere possimus : et hæc ejus imaginatio multùm proderit ad ejus tentationes et suggestiones discernendas; qui finis est hujus Exercitii.

SECUNDUM. Notatur hìc sollicitudo et media quibus dæmon utitur ad finem suum consequendum, ministros suos mittendo ad omnes mundi plagas; monens ne ulli loco aut alicui hominum generi parcant. Et sic totum hunc mundum considerabimus, sicut eum vidit sanctus Antonius, plenum laqueis, retibus et venatoribus; plenum viis lubricis, quæ sunt occasiones multæ lapsuum, plenumque tentatoribus, qui omnes artes adhibent, nullâ prætermissâ : unde tanta hominum cæcitas provenit, et tot lapsus, ut nullus ab hominum conversatione tam remotus aut secretus sit, nec ulla tam spiritualis persona, quæ tentationibus obnoxia non sit. Primum ergo Punctum nobis insinuat hostis nostri conditionem, qui est ferox et crudelis, qualis est leo; et Secundum, quòd non sit instar leonis, qui satur se componit ad dormiendum, sed instar esurientis, qui præ fame quasi rabidus rugiat, circumeatque quærens quem devoret : quod totum debet in nobis excitare vigilantiam et prudentiam, secundùm Apostoli monitum 1. Petr. 5. *Sobrii estote, et vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, etc.* Hæcque vigilantia nobis servire debet ad cautelam, ne ni-

miùm quibusvis occasionibus externis fidamus, nec omni spiritui, quo intus movemur, credamus; attentè intentiones dæmonum examinantes, quò ab iis nobis caveamus, ne culpâ nostrâ et incuriâ in tentationem intremus, ut Salvator monet: *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.*

In TERTIO PUNCTO nobis proponuntur cum distinctione res, ad quas per se et suos ministros nos dæmon allicere conatur; quæ sunt tres, amor divitiarum, et honoris, et superbia.

Unde nota ordinem quem dæmon in tentando servat: incipit enim plerumque à concupiscentiâ divitiarum, tanquam à re proximè conjunctâ necessitati corporis et obligationibus domûs et familiæ. Secundus gradus est, honor vanus; quia si quid ex bonis sustentationi personæ familiæque supersit, statim oculos conjiciunt in amplificandum statum augendamque familiam, et honores, quò totum quod residuum est expendatur, ita ut nihil sibi aliisque supersit. Et ut tales quotidie sibi imaginantur majorem familiæ honorumque amplitudinem, ita nullæ eis sufficiunt divitiæ; sicque cum proventu crescit concupiscentia, et à primo secundoque vitio gradum faciunt ad tertium,

nimirum superbiam. Non enim in id quod sunt oculos conjiciunt, sed in id quod habent, aut habere putantur ; et suæ exiguitatis statûsque prioris obliti, tantos se esse putant, quantæ sunt divitiæ et honores : hinc se magni faciunt, et ab aliis majores quàm sunt haberi volunt ; et inordinatè appetunt propriam excellentiam, quæ vera et genuina est superborum conditio.

Secundò, nota quòd ex hoc indebito divitiarum, honoris et propriæ excellentiæ amore oriantur reliqua vitia, ad quæ, quasi per catenam, hisce mediis nos dæmon pertrahere conatur. Ex divitiarum enim appetitu ordinariè proveniunt fallaciæ, deceptiones, furta, violentiæ, perjuria, et omne injustitiarum genus. In personis spiritualibus, et Deum timentibus, provenit cordis inquietudo, qualis est ejus qui inter spinas versatur, siccitas in oratione, durities et defectus compassionis pauperum. In Religiosis oritur desiderium rerum curiosarum et superfluarum, proprietates, lautæ tractationes, amicitiæ vanæ cum secularibus, quò ab iis impetrent quod appetunt ; dissimulationes et mendacia cum Superioribus, ne detegantur, amaritudines et murmurationes contra eos, quando hæc impediunt, etc.

Amor honoris producit jactantiam, hypocrisin, ambitum officiorum et habitationis honoratioris, horumque iniquis artibus procurationes, adulationes cum iis qui ad hæc multùm juvare possunt, contemptum et detractiones de æqualibus et competitoribus, disputationes, contentiones, discordias et novitates, etc. Ex superbiâ oritur cæcitas intellectùs, durities judicii, pertinacia in suo sensu, inobedientia erga Superiores, præsumptio de seipso, otium, tædium in suî recollectione, vanæ loquelæ, evagationes in oartione, amor et æstimatio rerum præsentium, et gustus in voluptate carnali; ita, ut Deus frequenter occultam aliquam superbiam manifesto peccato luxuriæ puniat.

Ex dictis sequuntur duæ Regulæ, quò quis faciliùs in notitiam veniat tentationum dæmonis; et sunt quasi prima documenta discretionis spiritualis.

Prima est ex parte rei ipsius, quando nempe sentimus nos moveri et inclinari ad amorem divitiarum, honoris et propriæ excellentiæ, vel ad aliud aliquod vitium, quod ex illis tanquam ex radice nascitur: quia illa sunt ad quæ dæmon nos inducere conatur, ut in tertio puncto bene notatur; et tunc tentatio est magis manifesta.

Secunda Regula est ex parte modi, cum quis experientiâ percipit, ejusmodi cogitationem turbationi causam dare, animoque anxietatem, diffidentiam et obscuritatem offundere : tales enim fructus in animâ à dæmonis suggestione produci solent. Nam ut ex vocis et modi loquendi tono clarè percipimus, an is qui loquitur, in humili an alto sit loco, an iracundus ac furiosus, an suavis aut pacatus, etc. sic ex affectibus illis quos anima sentit, facilè colligitur, quòd illi à Duce superbo, feroci, terribili, qui ex cathedrâ suâ elevatâ non spirans nisi fumos et ignes loquitur, proveniant.

Secunda pars *Meditationis.*

De vexillo Christi Domini nostri.

Eadem tria Puncta econtrariò nobis sunt consideranda de Christo Domino nostro, summo et vero Duce.

In primo Puncto formanda in nobis ipsis imago Christi Salvatoris nostri, cum proprietatibus suis et conditionibus, ut hìc dicitur. Primò, Quoad locum, *in regione Jerusalem;* quod significat pacem, et repræsentat Jerusalem cœlestem, quæ est civitas Dei de quâ dicitur : *Gloriosa*

dicta sunt de te civitas Dei. Secundò, In campo magno, plano, aperto et patentissimo cœlo; quod significat lucem, hilaritatem, et latitudinem cordis. Tertiò, In loco humili, dispositione et vultu demisso, qui omnem tollit horrorem et timorem, et ad familiarem conversationem invitat, omnemque spondet mansuetudinem et affabilitatem. Quartò, Quoad ejus personam, speciosus, gratiosus, vultu amantis, quique amari meretur. Et tandem, ut sponsa dicit, *totus desiderabilis.* Ex illis enim circumstantiis sensibilibus loci et personæ, via nobis aperitur ad notitiam ingenii et conditionis Christi Domini nostri, nobisque ejus doctrina sanctæque inspirationes innotescent.

In SECUNDO PUNCTO consideranda electio Apostolorum, Concionatorum et aliorum Evangelii ministrorum, quos Salvator paulatim, variisque temporibus, vocat, et per universum mundum distribuit, inspirando in corda flaccidorum mortalium cogitationes Apostolicas animosque, quò parentes, patriam, divitiasque et amicos relinquentes, penetrent usque ad ultimos terræ fines, et per montes et silvas velut venatores homines quærant, eosque è suis antris et cavernis educant, ut Evangelii lumine illustrati, in sui Creatoris cogni-

tionem veniant. Hinc nullus est in toto orbe angulus ita desertus, nec gens tam barbara, quò hæc Christi Domini nostri notitia ejùsque doctrina non pervenerit. *In omnem terram exivit sonus eorum, etc.*

Tertium Punctum continet doctrinam, quam Christus Dominus noster suis illis Ducibus inculcat, quâ homines ad sanam mentem perducant : hanc S. Pater noster ad tria Puncta contraria iis quæ dæmon hominibus persuadet, mundusque docet et exercet, reducit; quæ sunt, primò, Paupertas, opposita divitiis; secundò, Opprobria et contemptus, opposita honori mundano; tertiò, Humilitas, contraria superbiæ.

Circa quæ Notandum primo, Quòd in hoc Exercitio fundata sit doctrina ea, quam sanctus Pater noster tam graviter et cum tantâ emphasi intrantibus in Societatem proponit in cap. 4. Exam. à §. 34. usque ad Capituli finem : quæ vocari potest Admirabilis hujus Exercitii commentarius. Ex hoc enim Exercitio, sicut dictum est, prodiit forma Societatis; quæ fundata est in odio, non ex parte, sed perfecto omnium quæ mundus amat et amplectitur, admittendo et totis viribus concupiscendo, quidquid Christus Dominus noster amavit et amplexus est : et

qui in hoc non collimat, aut incumbit, vel qui tam ferventia desideria non habet, vel saltem habere non desiderat, apud se non statuens, nec paratum se ostendens ad ferendas cum divinâ gratiâ patienter quasvis injurias, illusiones, opprobria, aliaque, quæ Christi Domini nostri vestis et insignia includunt; iste, inquam, qui vestem eam sui Domini non æstimat, dici non potest istum Ducem sequi, neque de istâ esse cohorte.

Notandum secundo, Quòd tres illi perfectionis gradus inter se sunt conjuncti et quasi concatenati, ut de tribus contrariis diximus; et ex iis, tanquam ex radice, cæteræ virtutes oriuntur. Primò enim debemus omnes universaliter juvare, adducendo illos ad summam paupertatem spiritualem, hoc est, ad rejiciendum à se divitiarum amorem, earumque æstimationem; unico quasi ictu concupiscentiam, quæ omnium malorum est fons, ex animo præscindendo, et tunc verum et perfectum esse odium illud divitiarum sciemus, quando re ipsâ illas deserere paratos nos sentiemus, si eam Dei fore voluntatem intelligeremus; ita ut, eas actu non deserere, non tam à nostrâ quàm à divinâ voluntate procedat.

Ab hoc gradu ascenditur ad secundum,

qui est contemptus honoris : quia animus omnis ac impetus, quo ferimur in honorem mundanum, nascitur ex pecuniâ; et pecuniæ gratiâ homines in æstimatione sunt, multorumque lucrantur amicorum et adulatorum turbam. Proverb. 14. *Etiam proximo suo pauper odiosus erit : amici verò divitum multi.* Et hinc quando quis divitias contemnere decrevit, eadem operâ honores contemnere decernet : deficiente enim pecuniæ hujus quasi sanguine, remanebit obscurus et quasi in angulo, sine vigore, et vilis.

Hinc ad tertium gradum ascenditur, qui est Humilitas, quâ clarè quis cognoscit, iterumque cognoscit suam parvitatem : et cùm in bonis temporalibus ita sit pauper, oculos aperit, quò eam suam paupertatem clarè videat, et tum se talem æstimat qualis reverà est, et non qualem eum homines fingunt.

Ex tribus illis gradibus reliquæ oriuntur virtutes. Ex amore enim paupertatis provenit pax, animi quies, fiducia in Deum in temporalibus necessitatibus, et conformitas cum divinâ voluntate in bonorum jacturâ, rerumque infaustis successibus: item animus libenter tam facultatum suarum quàm etiam lucrorum faciendi jacturam, nolendique ea cum periculo di-

vinæ offensionis acquirere; neque etiam litigandi, sed potiùs pallium petenti etiam dandi tunicam, egentibus libenter sua communicandi, petenti commodandi, debitoribus tempus solvendi commodum concedendi.

Hinc etiam oritur, quòd qui ad majorem perfectionem vocati sunt, sua vendant bona, eaque dent pauperibus, nec quærant superflua, nec curiosa, sed contenti sint exspectatione panis quotidiani à Deo; et gaudeant, si aliquos paupertatis effectus aliquando experiantur, libenter indigentiam rerum etiam necessariarum, siquando ea se occasio offerret, ferendo: *In fame, siti, frigore, et nuditate, etc.*

Ex amore contemptûs et injuriarum provenit, quòd quis loco et officio humili recreetur, non quærendo primas cathedras in Synagogis, nec salutationes honoresque in foro, nec accubitus primos in mensis tempore convivii, nec quòd quis velit ab hominibus vocari Magister. Oritur etiam patientia in injuriis, disponendo se ad graviores, et promptitudo in ignoscendo aliosque honorando, et eos omni benevolentiâ et honore præveniendo, quæ omnia sunt Consilia Evangelica. Si autem quis injurias amare debeat, multò magis errorum reprehensionem ac correc-

tionem, eos non inficiando, non abscondendo, non excusando, etc.

Humilitatem sequitur gratiarum actio, mansuetudo, judicii submissio. Nolle disputare, vel suum judicium mordicus tueri, nec contendere, apertum esse in reddendâ conscientiæ ratione, cum Superiore et Patre spirituali sincerè agere, libenter petere et admittere sana consilia, amare silentium, nolle innotescere, et omni modo quidquid in oculis hominum splendoris aliquid habet occultare. Hæc et similia continentur in Salvatoris nostri doctrinâ, et quæ suis Ducibus commendat, quò ea hominibus tradant, eosque per illa juvent.

Hinc etiam resultant duæ aliæ Regulæ discretionis, quò quis in perfectam inspirationis divinæ notitiam veniat. Prima, ex parte rerum : si enim ab aliquâ ex supradictis nos moveri percipiamus, possumus nobis persuadere eam esse inspirationem divinam. Secunda, ex parte modi : quia quando cogitatio illa animi quietem, suavitatem, gaudium, lucem et fiduciam adfert, indicia ea sunt boni spiritûs. Cùm enim Christus Dominus noster tam sit pacificus, tamque speciosus et suavis, et in loco demisso et tam humili sedeat, non potest nobiscum nisì familiariter loqui,

omni nos gaudio et suavitate perfundens. Huc pertinet, congruenter Punctis iis et regulis, quas jam declaravimus, ut quisque suas cogitationes motusque internos examinet, sicque Ducis sui et adversarii vocem interiùs agnoscat, quò clarè, sub cujus signis militet, videre possit.

In hoc Exercitio fiunt tria colloquia: primum ad Virginem Dominam nostram; secundum ad Christum Dominum nostrum; tertium ad Patrem æternum, quorum primâ vice fit mentio in Repetitione primæ Septimanæ. Et eadem tria colloquia fieri debent in omnibus Meditationibus sequentibus, toto tempore quo aliqua electio durat: tum enim occurrere solent tot difficultates, ut necesse sit hisce colloquiis affectum excitare, et maximè intercessione B. Virginis Dominæ nostræ sibi consulere.

Materia petitionis est supplicatio, quâ petimus ad vexillum Christi Domini nostri admitti, vocem ejus audiendo, eamque in duobus præcipuè executioni mandando: primò, in summâ paupertate spirituali et actuali; secundò, in ferendis injuriis et infamiâ, ut Dominum nostrum quam proximè sequamur.

In primo, quoad paupertatem actualem ponitur conditio, si divinæ nempe suæ

Majestati placuerit ad istud vitæ genus eumque paupertatis gradum me vocare, integram ejus determinationem in tempus electionis reservando; ut suprà dictum est.

In secundo, quoad injurias ponuntur duæ conditiones. Prima, ut ego illud, quantum in me est, desiderium habeam, optando ut nullius hoc culpâ, aut cum divinæ Majestatis offensâ fiat. Secunda, ne ego justam iis injuriis dem occasionem. Quod etiam dicitur in Examine cap. 4. §. 44. unde, sicut dictum est, hauritur eadem illa hujus Exercitii doctrina.

SEXTUS DIES.

De reliquis Exercitiis secundæ Septimanæ.

Mirabilis est modus quem S. Pater noster servat, ut nos quasi manu ducat in hac secundâ Septimanâ ad summum perfectionis ; de quo, ut aliquid de eo intelligamus,

Notemus primo, Quòd ejus intentio sit, ut exercitans disponat se ad sequendum Christum Dominum nostrum tanquam verum suum et legitimum Regem, à quo ad bellum illud cum hostibus suis ineundum amicè invitatur. Deinde, ut firmiter proponat eum sequi in maximis periculis et laboribus : verbi gratiâ, in contemptu divitiarum et amoris proprii, in contemptu honoris, et amore injuriarum et infamiæ, et tandem in vera cordis humilitate. Ut sic in animo suo divitias contemnat, ametque paupertatem, ut etiam paratus sit reipsà easdem divitias relinquere, et paupertatem amplecti, si intelligat, hoc ipsum futurum ad majus Dei obsequium, et majorem Dei Domini nostri gloriam. Ut, si

laus et gloria divinæ Majestatis par foret, ad majorem tamen Christi Domini nostri imitationem eligat potiùs paupertatem et infamiam, et reputari pro stulto, quæ Christus Dominus noster amavit atque amplexus est; non autem hisce contraria, quæ mundus tantopere amat et amplectitur. Et hic gradus electionis, præterquam quòd ex se valdè sublimis sit et pretiosus in vitâ spirituali (ut sanctus Pater noster benè notat in cap. 4. Examin.) est prætereà valdè efficax ad animam excitandam, ut sanam electionem in quocunque negotio, quantumvis gravi et difficili, absque ullo inordinatæ alicujus passionis periculo faciat.

Notemus secundo, Quòd etiamsi Puncta illa perfectionis proponantur exercitanti se in omnibus istis Meditationibus, ut sciat quâ viâ ambulare, quò eniti, et quid prætendere debeat; non tamen vis nobis statim inferenda est in omnibus istis propositis, sed paulatim, ordinatè et gradatim. Nam in Exercitio de Regno Christi collimatur præcipuè in resolutionem et propositum sequendi Dominum suos ad bellum vocantem: in Exercitio de duobus vexillis prætenditur declaratio magis particularis, in quibus nempe rebus illud bellum consistat; et ut propositum illud

generale Christum sequendi magìs confirmetur, et lumen majus acquiratur, quò signa illa sui Ducis et hostis meliùs cognoscat, magis se in amore paupertatis, ignominiæ et humilitatis, ut dictum est, exercendo. Quia tamen iste divitiarum contemptus non est, nec esse potest verus et perfectus, nisì persona etiam decernat, eas re ipsâ, quando id necessarium foret, et Deus ad hoc eam vocaret, deserere: et multi verè in eo decipiuntur, sibi persuadentes quòd paupertatem ament, quando nihil eis deest; et honoris contemptu delectentur, eumque ament, quando actu honorantur, magnique ab omnibus fiunt: et cùm occasiones jam istius paupertatis et humiliationis actu subeundæ sese offerunt, retrahunt pedem, nolentes honores et divitias quas possident deserere: Ut huic difficultati occurrat sanctus Pater noster, addit tertium aliud Exercitium, quod vocant de Tribus hominum classibus; in quo urget illud solum Punctum: quòd is qui inordinatum hunc divitiarum amorem ex animo suo eradicare intendit, debeat etiam esse dispositus ad eas re ipsâ deserendas, quando illud sciret ad majorem Dei gloriam futurum. Et tandem in ultimo Exercitio, quod est de tribus gradibus humilitatis; colligit omnia

illa proposita et resolutiones, easque ad majorem perfectionem reducere conatur, dicens, quòd non tantùm quando major Dei esset gloria, sed etiamsi par ea foret, et æquale obsequium, potiùs tamen paupertatem et humiliationem actualem optare deberet, non ex alio capite, quàm ut sic magis accedat ad similitudinem Christi Domini nostri.

Praxim horum duorum subjungemus hîc breviter.

DE TRIBUS HOMINUM CLASSIBUS, SIVE DIFFERENTIIS, UT POTISSIMAM PARTEM AMPLECTAMUR.

ORATIO PRÆPARATORIA, *ut semper antehac.*

PRÆLUDIUM PRIMUM *fiat, propositis vice historiæ tribus hominum classibus distinctis, quarum unaquæque decem millia ducatorum alio quàm divini cultûs et amoris studio sibi paraverit: nunc autem placatum habere Deum, et salva fieri exoptet, sublato utcumque noxio affectu rerum, utpote salutis impedimento.*

SECUNDUM *est, imaginaria constructio loci cujusdam in quo videam meipsum coram Deo Sanctisque omnibus adstantem atque perseverantem, cum desiderio intel-*

ligendi, quonam pacto ipsi Deo placere queam potissimùm.

TERTIUM *est, optatæ rei petitio, nimirum gratiæ, per quam id eligam quod et Deo acceptissimum et mihi saluberrimum futurum sit.*

Prima igitur classis optat quidem acquisitæ rei exuere affectum, ut conciliari Deo possit; sed media debitaque adminicula toto vitæ tempore non admovet.

Secunda itidem affectum malè ordinatum auferre cupit, sed rem interim mordicus tenere, ac Deum potiùs trahere ad votum proprium, quàm, relicto impedimento, per conducibiliorem statum ad illum tendere.

Tertia postremò, affectum insincerum volens abjicere, rem ipsam vel tollere vel tenere æquè parata est, prout ad Divinum cultum commodiùs fore; vel ex Divino instinctu, vel ex rationis dictamine animadverterit: ac interim omnia relinquens integra, illud tantùm versat, et inquirit, nec aliam admittit relinquendæ aut retinendæ rei acquisitæ causam, præter rationem ac desiderium Divinæ gloriæ, ut quàm maxima sit.

Colloquia tria subsequentur, ut nuper facta sunt in Meditatione de duobus vexillis.

Notandum ad hæc, quòd, ubi affectum sentimus paupertati perfectæ, quæ tum in spiritu tum in rerum abdicatione consistit, adversantem, et ad divitias magis inclinantem, multùm confert ad eum elidendum, petere à Deo, licèt renitente carne, ut ad paupertatem ejusmodi sectandam nos eligat; servabimus tamen intereà desiderii nostri libertatem, quâ liceat convenientiorem Divino servitio viam inire.

Declaratio hujus Exercitii.

Finis hujus Meditationis (ut diximus) est insistere, et vim facere in eo, quòd non possit esse perfecta paupertas spiritualis in eo, qui, quantum in se est, non etiam est dispositus ad actualem : nec verum sit, quòd is omnem à se divitiarum amorem rejecerit, qui non etiam paratus est eas actu deserere, ubi id major Dei gloria majorque spiritûs profectus requireret. Et quamvis adhuc nihil debeat concludere circa divitiarum retentionem vel abdicationem (illa enim resolutio differtur in tempus electionis;) interim tamen cogitet se omnia re ipsâ reliquisse, vim faciendo in eo quòd nec illa nec quidvis aliud desideret, si non sit futurum ad Dei Domini nostri gloriam : ita ut desi-

derium Deo meliùs perfectiùsque serviendi, illum solùm moveat ad aliquid acceptandum vel respuendum.

Forma hujus Meditationis valdè similis est parabolæ, quam Christus Salvator noster proposuit de seminatore; notando quatuor classes, aut hominum genera, qui idem verbum Dei audiunt, diversis tamen effectibus.

Prima est eorum qui verbum Dei audiunt, sed statim se avertunt, et obliviscuntur.

Secunda eorum qui cum gaudio audiunt, sed in tempore tentationis recedunt, et idem deserunt.

Tertia eorum qui audiunt, et illud cum gaudio suscipiunt, sed divitiarum rerumque temporalium concupiscentia illud suffocat, atque ita fructum non referunt.

Quarta eorum qui audiunt, et illud conservant, et velut terra pinguis beneque culta uberem fructum adferunt in patientiâ. Certum est quòd Salvator eas quatuor hominum classes proposuerit, ut, animadverso earum discrimine, singuli conarentur esse de classe meliorum, ac sese disponere ad referendum fructum quem postremi referunt: eo modo in hoc Exercitio nobis proponuntur tres classes, sive tria genera hominum, qui omnes tem-

poralia bona possident; et omnes à se eorum affectum et amorem removere volunt; et diversa ad hoc omnes proponunt media, ut, considerantes eam quæ inter illos est differentiam, optimum eligamus.

In PRIMO PRÆLUDIO historiæ notandum, quòd quando supponitur, quòd isti homines decem millia ducatorum acquisiverint non debitè, non velit dicere, quòd ea injustè et contra conscientiam acquisiverint; quia tali casu res nullam haberet difficultatem: quia non tantùm obligarentur ad removendum à se omnem eorum affectum inordinatum, verùm etiam ipsa decem millia malè et injustè acquisita actu et re ipsâ restituere deberent: sed loquitur convenienter intentioni præsenti istorum hominum qui eam pecuniam acquisiverunt, non tam moti amore Dei quàm earum pecuniarum amore, et maximè propter respectus humanos, non verò divinos aut spirituales.

De illis hominibus dicit, quòd meliùs sibi consulentes agant de suâ salute, et quærendo inveniendoque Domino nostro, cum majori pace et sui spiritûs satisfactione: et ut hoc consequantur, omni modo pondus et impedimentum, quod affectus ille divitiarum secum trahit, à se removere conantur. Huc usque pervenit

historia : in quâ paucis verbis describitur dispositio, quam is qui exercetur habet; quæ est, primò, Decretum salvandi se; secundò, Desiderium inveniendi Deum cum pace et satisfactione; tertiò, Desiderium exstirpandi omnem affectum inordinatum ad divitias. Et sistendo in illo Puncto etiam requiritur, ut se determinet ad deserenda ea etiam cum effectu, si id futurum sit ad majus Dei obsequium, et animæ ipsius majorem profectum.

In SECUNDO et TERTIO PRÆLUDIO nihil est particulare quod notetur.

Meditatio continet tria Puncta, quæ sunt, considerare statum et dispositionem hominum secundùm tres istas classes, ut meliorem eligamus.

Prima classis est eorum qui volunt, et nunquam velle desinunt; ex aliâ tamen parte propter divitiarum amorem eas deserere nolunt, quanquam ab earum amore se vellent expedire. Et ex hac luctâ et affectuum contradictione nascitur dilatio mediorum, quæ tepidorum solet esse tentatio : qui omnia sua de die in diem differunt, donec tandem omnia mors abrumpat.

Secunda classis est eorum qui omnem affectum et amorem inordinatum divitiarum exuere volunt, sed cum proposito eas re ipsâ non deserendi; qui tamen in

eo decreto perseverantes, dispositi et parati sunt quævis media arripere ad corrigendam affectus istius inordinationem : illi sunt de quibus dicit sanctus Pater noster in Præludio in ordine ad electionem, quòd priùs concludant quoad media quàm quoad finem ; cùm tamen contrarium fieri debeat : nam, secundùm rectam rationem, prius semper est, intendere finem, et postmodum, eligere media. Atque ita, bono ordine procedendo, primum est, decernere servire Deo, et quærere suam salutem ; secundum, videre, num ad illum finem expediat retinere an deserere divitias : verùm isti faciunt contrarium ; quia primò constituunt retinere divitias, postmodum verò tractant de serviendo Deo illis retentis, Deum sic in suam sententiam pertrahere conantes, et ad eum viâ quâ ipse eos ducit sequendum, se non determinantes.

Tertia classis est eorum qui omnem divitiarum affectum à se removere volunt, et hoc illo modo, ut ne affectum quidem habeant ad divitias acquisitas retinendas, vel non retinendas, sed solùm eatenus volunt, quatenus illis Deus inspiraverit, et ipsi magis divino servitio, et ad Dei Domini nostri laudem et gloriam conveniens fore judicaverint : hoc solùm con-

tendentes, ne se ad unam aut alteram partem, nisì solo divinæ Majestatis servitio ad hoc moveantur, determinent, ita ut solum desiderium meliùs Deo Domino nostro serviendi eos moveat ad ea vel retinenda vel deserenda. Et cùm ea sit optima dispositio, ut à nobis omnem inordinatum affectum removeamus, evidens est, quòd eam modis omnibus procurare debeamus, et primorum illorum et secundorum sufficere nobis non debeat dispositio.

Colloquia eadem erunt quæ in Exercitio de duobus vexillis. Unum solùm notandum; quòd si in me aliquam vel circa paupertatem, vel circa divitias animadverterem repugnantiam, multùm juvabit ad illam superandam, si in colloquiis à Deo Domino nostro petam, ut me vocet, et eligam contrarium ejus quod mihi maximè in votis est. Exempli causâ: si à Domino peterem (carne licèt contradicente) me ad actualem paupertatem vocare dignaretur, quia hoc opto, peto et supplico, ut det quod ad obsequium et gloriam divinæ bonitatis futurum sit; nam ubi voluntatem meam et orationem flexero ad id quod meæ sensualitati contrarium est, ad indifferentiam quæ quæritur facilè perveniam. Eodem quis Exercitio uti po-

terit in materiâ honoris, deliciarum, et similibus. Verbi gratiâ, quoad affectum honoris possunt proponi tres hominum classes, qui inordinatum illum affectum à se removere, cordisque humilitatem impetrare volunt.

Prima, quæ humilitatem quidem desiderat, sed omnia quæ ad eam obtinendam possunt juvare media rejicit, differtque usque ad horam mortis.

Secunda, quæ eamdem optat per quæcunque media, verùm aliqua excipit; qualia sunt, nolle talem vel talem injuriam, vel à tali personâ; vel nolle talem contemptum, non consentire tali humiliationi; vel non admittere tale officium, etc. et in aliis ad quævis se paratum offert.

Tertia, quæ se, quantum in se est, disponit ad ferendas qualescunque injurias, parata à se removere quosvis honores, et quasvis humiliationes admittere, prout viderit fore ad majorem Dei gloriam et animæ suæ profectum.

Ut autem vim hujus Exercitii meliùs quis intelligat, multùm juvabit, illud collocare in materiâ sanitatis corporalis; unde clariùs constabit quod dicimus.

Adducamus in medium tres infirmos, omnes in eodem periculo constitutos, et omnes idem salutis adipiscendæ desiderium habentes.

Primus à nullâ re noxiâ vult abstinere, nec ullam rem suæ sanitati profuturam admittere, nullam medicinam sumere, abreptus à præsenti gustu, curationem in aliud tempus differendo.

Secundus agit de suî curatione, sed Medicum vult habere pro suo libitu, petendo pharmaca pro suo gustu, medicinas quasdam admittendo, alias rejiciendo.

Tertius totum se tradit in manus Medici, ut de se disponat, nullo habito sui affectûs aut voluntatis respectu, prout videbit convenire optatæ suæ saluti. Certum est, quòd ex tribus illis infirmis primus in summo periculo moriendi versetur; secundus, ut minimùm, non recuperandi sanitatem; tertius solus superest qui spem habet curationis. Porrò si spes illa sanitatis corporalis, quæ non est omnino certa, hominem prudentem eò adducat, ut se Medico committat, seque ad quævis subeunda remedia, quantumvis dura, offerat; quantò magis debet homo se totum divinæ committere voluntati, ut certam spem æternæ suæ salutis nanciscatur?

De tribus gradibus Humilitatis.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri sic habet :

Antequam electionum materiam aggrediamur, ut ad capessendam germanam Christi doctrinam affectum nostrum disponamus, apprimè juvat considerare, ac per diem totum revolvere idemtidem tres sequentes modos Humilitatis, nec non Colloquia dicenda crebrò agitare.

Primus Humilitatis modus hic est ad salutem necessarius, ut me penitus subdam Divinæ legi observandæ, utque nè mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ discrimine objecto, transgrediar ex deliberato mandatum ullum Divinum aut humanum; quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.

Secundus majoris est perfectionis, ut fixo animo ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vitæ ac longitudinem, æquè sim propensus, ubi æqualis est Divinæ laudis et salutis meæ occasio; utque nullâ vel humanæ quantæcumque felicitatis vel propriæ mortis conditione propositâ adducar umquam, ut culpam, licèt venialem tantùm, decernam admittere.

Tertius est modus Humilitatis absolutissimæ, ut priores jam duos adeptus, etiamsi nullo superaddito, laus Dei par foret; ad majorem tamen imitationem Christi, eligam potiùs cum eo paupere, spreto et illuso, paupertatem, contemptum et insipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, et sapientiæ æstimationem. Porrò ad gradum hunc Humilitatis attingendum, magnum adferet compendium, triplicis Colloquii præcedentis de vexillis usus, per quod suppliciter poscamus (si Divinæ placeat benignitati) ad talem perduci electionem, sive major sive æqualis obsequii mei erga Deum et gloriæ Divinæ proventus subsit.

Declaratio hujus Exercitii.

Finis hujus Meditationis est, in summam redigere fructum omnium Considerationum præteritarum, et confirmare in se omnia proposita et conclusiones quæ huc usque factæ sunt: et hoc non fit per modum particularis alicujus Meditationis, sed considerando tres illos Humilitatis gradus subinde, et per vices, toto diei decursu; in hunc finem dirigendo tria colloquia, de quibus in Exercitio proximo actum est.

PRIMUS GRADUS Humilitatis tantam subjectionem, quâ quis se mandatis Dei, Ecclesiæ, et Superiorum subjicit, et tantum bonorum temporalium contemptum continet, ut nec omnium bonorum prosperitatumque hujus mundi spes, nec omnium adversitatum timor me ad aliquod peccatum mortale inducere possit. Hoc propositum est proprium incipientium, et fructus primæ Septimanæ.

SECUNDUS GRADUS tantum bonorum temporalium contemptum continet, ut, quantùm in me est, ita me dispositum inveniam, ut, positâ æquali Dei gloriæ et meæ salutis occasione, non sentiam majorem affectum ad divitias quàm ad paupertatem, ad honorem quàm ad ignominiam, ad longam quàm ad brevem vitam : et hoc proprium proficientium est, fructusque ex Exercitiis secundæ Septimanæ collectus. Tantam prætereà gradus hic habet subjectionem circa mandata Dei, ut pro nullâ re mundi, propositâ etiam morte, peccatum veniale deliberatè velim committere : et hic valdè sublimis et solidus nostri profectus gradus est, qui dicitur conformitas cum Dei voluntate, non tantùm quoad graviora Dei præcepta, quæ ad gravem culpam, sed etiam quoad minora, quæ

non nisi ad leve et veniale peccatum obligant.

Tertius Humilitatis gradus est perfectissimus ; quia primum et secundum includit, et illis aliquid superaddit : dein non tantùm supponit indifferentiam ad paupertatem et ignominiam, et ad reliqua quæ mundus contemnit et odit, sed et inclinationem ad illa ; et non tantùm requirit subjectionem quoad mandata Dei tam majora quàm minora, sed etiam quoad sensum et beneplacitum divinæ voluntatis, desiderando illud iter inire, quod ipse nobis suo exemplo ostendere dignatus est, ut ego me Jesu Christo Domino nostro magis conformem, vivamque me ejus imaginem efficiam. Et hic finis est Exercitiorum superiorum. Ita ut licèt possem admittere honorem et divitias absque peccato, etiam veniali ; imò non solum sinè peccato, sed etiam eo casu, quo iis admittendis aut rejiciendis major Dei gloria aut major animæ meæ utilitas se non proderet : nihilominùs, quò me magìs conformem, similemque Christo Domino efficiam, cupiam et eligam magìs paupertatem cum Christo, quàm divitias ; et optem magìs injurias et opprobria cum Christo iis saturato, quàm mundi hujus vanos honores ; magìsque desiderem contemni,

et pro Jesu Christi amore, qui albâ indutus veste irrisus fuit, stultus haberi, quàm in oculis mundi sapiens et prudens videri.

Et hîc notandum, quòd licèt hisce tribus gradibus tota vitæ Christianæ perfectio comprehendatur; illos tamen potiùs nominavit sanctus Pater noster gradus Humilitatis quàm alterius virtutis. Primò, quia subjectionem quoad omnia Dei præcepta requirunt. Secundò, quia divitiarum omnium et honorum mundi contemptum, et vires bonamque dispositionem ad quamvis infamiam et vilipensionem subeundam, exigunt. In primo consistit perfectio; et in secundo tolluntur omnia perfectionis impedimenta: ita, ut nec unum nec alterum sinè magnâ humilitate fieri possit. Multùm verò juvabunt colloquia supradicta ad Exercitium istorum graduum, petendo à Domino nostro, ut tertiam illam sublimiorem humilitatem, quò meliùs illum imitari eique servire possimus, si hoc ad majorem seu æqualem ipsius divinæ Majestatis gloriam fuerit, nobis donare dignetur.

De modis electionis.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri sic habet :

Modus prior sanæ bonæque electionis faciendæ, sex constans Punctis.

Punctum primum *erit, Proferre in medium rem deliberandam, ùt de officio vel beneficio, acceptandumne, an potiùs rejiciendum sit : et ità de cæteris rebus quæ ad mutabilem electionem spectant.*

Secundum *est, Adducto ante oculos creationis meæ fine, in hoc consistente, ut cum Dei laude salvus fiam, in neutram declinare partem amplectendæ vel repudiandæ rei controversæ ; quin potiùs velut in medio quodam interstitio et æquilibrio subsistere, parato interim animo, ut in eam illico partem totus ferar, quam novero Divinæ gloriæ et saluti meæ fore aptiorem.*

Tertium, *Obsecrare Dei clementiam, ut dignetur mentem instruere, et impellere voluntatem quocunque potiùs mihi tendendum sit, adhibito nihilo seciùs pio fidelique intellectûs mei ratiocinio ; per*

quod, apprehensâ et probatâ Dei voluntate, ad electionem ferar.

QUARTUM, *Perpendere, quot tandem commoda vel adminicula mihi ad finem meum prosequendum accedent ex tali officio vel beneficio suscepto; quot rursum ex eodem incommoda et pericula impendent: prætereà, quot per oppositum, omisso illo, tam commoda et adminicula quàm discrimina et damna possim exspectare.*

QUINTUM, *His præmissis, ratiocinari in utramque partem, et juxta ipsius rationis dictamen, seposito carnis appetitu omni, electionem concludere.*

SEXTUM, *Electione factâ, ad orandum citò prosilire, et illam offerre Deo, perfectè demum, si ei placeat, recipiendam et stabiliendam.*

MODUS POSTERIOR BENE ELIGENDI, IN REGULAS QUATUOR ET ANNOTATIONEM UNAM DISTRIBUTUS.

REGULA PRIMA, *Quòd, cùm oporteat per affectum ex Dei amore cœlitùs infusum fieri electionem, eligentem convenit persentiscere in seipso, quòd quidquid affectionis (sive multum sive modicum sit) erga*

rem electam tenet, ex solius Dei amore et intuitu proficiscatur.

SECUNDA *est, Considerare, si quis mihi vir amicissimus, cui nihil non perfectionis inesse cupiam, occurret dubius super electione hujusmodi, quidnam ego illi decernendum maximè essem consulturus : quo animadverso, agendum et mihi ducam, ut suaderem alteri.*

TERTIA, *Mecum insuper reputare, si mors ingrueret, quem me mallem observasse modum in præsenti deliberatione : juxta hunc igitur eligendum nunc esse, facilè intelligam.*

QUARTA, *Prospicere non minùs quando pro tribunali sistar judicandus, quo me consilio hac in re usum esse vellem : quo agnito nunc utar, ut eo tempore magìs sim securus.*

Annotandum est postremò, quòd hisce Regulis quatuor propter salutem meam et animi quietem accuratè servatis, debeo juxta ultimum Punctum modi præcedentis electionem ipsam definire, et offerre Deo comprobandam.

Declaratio dictorum modorum.

SI quis dispositionem, de quâ dictum est in Exercitiis superioribus, optimo quo

cum divinâ gratiâ potuerit modo, acquisiverit; restat ut oculos in rerum suarum statum conjiciat, hoc est, in suas negligentias, culpas, passiones, inclinationes, occupationes, et Exercitia, quo omnia illa ad beneplacitum Divinæ voluntatis reformet, hæc omnia in particulari, et quibus mediis, in singulis uti debeat considerando; adhibendo ad hæc Examen generale, quod in primo Exercitio de peccatis fecit.

Ut verò solidius in hisce quid statuat, videantur modi electionis quos S. Pater noster in secundâ illâ Hebdomadâ præscribit; ex quibus, si bene in iis se exercuerit, valdè solidas pro vitæ suarumque occupationum et functionum reformatione conclusiones hauriet.

Et bene notandum est, quòd sicut præcipuum impedimentum, quò minùs statuamus quod maximè divino obsequio convenit, est inordinatus ille ad honorem, honorificam tractationem et divitias affectus; sic etiam maximum impedimentum, quò minùs conclusiones et proposita jam excitata executioni mandemus, sit contradictio sensualitatis amorisque proprii et mundani, quam experimur. Et hinc fit, quòd sicut ad bene concludendum nos disponit S. Pater noster per

Exercitium Christi Domini nostri, qui cum Cruce suâ nos semper præcedit, ut illum sequi, et ei similes esse desideremus; sic ad nos in proposito nostro confirmandos, et ad vires animosque necessarios ad ejus executionem subministrandos, valdè fusè nobis proponit in tertiâ Septimanâ Meditationem de Passione Domini nostri. Et tandem, finis tertiæ Septimanæ est Exercitium solidarum virtutum; quæ non sinè contradictione aut adversitate, ignominiâ, dolore, omniumque rerum temporalium defectu exercentur: quarum omnium præclarissima nobis exempla Passio Salvatoris nostri suppeditat.

MEDITATIO

DE PASSIONE CHRISTI.

Finis hujus Meditationis est, ostendere (quod sinè summâ admiratione cogitari non potest) quòd brevi illo tempore, quo series Passionis Salvatoris nostri duravit, tantos dolores in omni pœnarum genere, omnibusque eam Passionem aggravantibus circumstantiis passus sit; ut fieri posse non videatur, quòd ulla pœnarum genera in hominem quempiam incurrere

possint, quin eas CHRISTUS Dominus noster longè acerbiores sustinuerit.

Tota hæc consideratio ad quatuor Capita reduci potest: primum, ad paupertatem omniumque rerum necessariarum indigentiam; secundum, quòd ab omnibus, maximè ab amicis, fuerit derelictus; tertium, ad contumelias et opprobria; quartum, ad corporis dolores.

Quoad PRIMUM. Eò paupertatis redigi voluit, ut universaliter eum defecerint omnia necessaria; ita ut nec lectulum in quo moreretur, nec linteum minimum quo se tegeret, habuerit, nisì ad honestatem ei in eleemosynam datum fuisset: nec in siti et mortis agone aliud, quo se aliquantulùm reficeret, solatium habuerit, quàm fel et acetum ab hostibus ei oblatum. Cùm autem dicat sanctus Paulus, quòd summa paupertas sit, habere quo quis se operiat, quodque comedat, iisque contentum esse; Salvator noster, qui cùm dives esset, pro nobis pauper est factus, ulteriùs processit; quia nec quo se tegeret, nec quo sitim restingueret, habuit; et hæc est vivorum paupertas: mortuorum verò longiùs procedit, estque valdè similis illorum qui nascuntur; ut Apostolus 1. Tim. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quòd nec auferre quid*

possumus. Et nihilominùs mortui jus habent ad sepulturam, et linteum quo involvantur, et ut eorum in bonorum dispositione voluntas executioni mandetur : verùm Salvator noster in alieno sepulcro positus est, linteo eleemosynæ nomine dato involutus ; et de vilioribus, quibus dum viveret uti solebat, in morte disponere non potuit ; sed iis exutus, inter milites eas dividi, et sortem super iis ferri conspexit.

Quoad SECUNDUM. Desertum fuisse ab hominibus, adeò grave fuit, ut de illo dici possit illud Psalm. 141. *Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me ;* et alibi, Psal. 87. *Longè fecisti notos meos à me ; posuerunt me abominationem sibi.* Eòque gravior ei casus ille accidit, quò ex altiore ille fuit loco ; ut etiam potuerit dicere : *Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me validè.* Cùm enim velut sanctus summo semper in honore fuisset, eumque ut Prophetam habuissent, et tanquam Magistrum et Doctorem eum audivissent, summoque et frequenti populi concursu secuti eum fuissent in Templo, synagogis, civitatibus, in deserto, terrâ marique ; et propter tam varia eaque illustria miracula, in summo honore positus ; et propter

summa in omnes beneficia, omnibus mirabiliter gratus; subitò hæc omnia mutata fuere in summam ingratitudinem, in contemptum, in infamiam et odium, sicut in lege scriptum erat: *Quia odio habuerunt me gratis.* Joan. 15.

Primò, Cives ejus mortem cum summâ injustitiâ procurarunt; Gentiles Romani eam summâ cum crudelitate illi inflixerunt. Sacerdotes et Levitæ erant quasi fermentum, quo populi totius massa non parum contra Salvatorem commota fuit. Principes ignem excitabant, unde in populo talis orta est flamma, ut tantâ ignominiâ et doloribus extingui non potuerit. Prætereà illum Cruci affixum vidisse, contenti non fuerunt; sed, velut rabidi canes, ejus carnes mordebant et lacerabant, quem cum tantâ injuriâ et opprobrio mori videbant.

Secundò, Tantum Judæorum et Gentilium, majorum minorumque odium in se expertus, exiguam etiam in suis quos elegerat, quique eum secuti fuerant, constantiam fidemque invenit. Inter duodecim enim Apostolos, quos præ cæteris elegerat, unus eum vendidit, eorumque qui eum comprehenderunt ducem se præbuit; alius, quem omnium Apostolorum Principem fecerat, in suâ eum præsentiâ ter negavit,

detestando et dejerando quòd eum non novisset : reliqui verò fugâ sibi consulentes, eum turpiter deseruerunt, in hostium suorum manibus et potestate eo relicto. O admirabilem rerum humanarum inconstantiam! ô novum atque inauditum invictæ, quam Christianus imitari debet, fortitudinis exemplum! Quid tum, quæso, benedicto Salvatori erat animi, quando se ita ab amicis desertum et hostibus circumdatum animadvertit? de eo verè scriptum Psal. 21. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.*

Tertiò, Sola ejus benedicta Mater nunquam eum deseruit, sed in omni suâ infamiâ et opprobriis eum secuta est; cùm tamen eum defendere aut juvare non posset, quinimò suâ præsentiâ Filio dolores augebat. Et æternus Pater noluit eum, cùm tamen posset, hostibus eripere, permittendo eum feritati ac crudelitati inimicorum : quod benedictus Salvator tenerrimè sensit, et hostes ei id in faciem exprobrabant, dicentes : *Confidit in Deo, liberet eum Deus;* salvet eum Deus, quandoquidem eum solum quærat. Cùmque Deus eo tempore nullum liberationis signum daret, nec causam ejus defendendam suscipere videretur, amicè de eo Salvator

querebatur : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

Reliquum istius Meditationis, et fructum qui inde colligendus est, videre licebit in Meditatione Diei Septimi.

SEPTIMUS DIES.

De Examine particulari.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri sic habet :

EXAMEN PARTICULARE ET QUOTIDIANUM, TRIA TEMPORA COMPLECTENS, AD DISPOSITIONEM SUI AC DUPLICEM DISCUSSIONEM ACCOMMODATUM.

Primum tempus est matutinum, quo debet homo, statim dum à somno surgit, proponere diligentem sui custodiam circa peccatum aut vitium aliquod particulare, à quo emendari cupit.

Secundum est pomeridianum, in quo petenda est à Deo gratia ut reminisci possit ille, quoties in peccatum seu delictum istud particulare inciderit, et in posterum cavere : deindè priorem faciat discussionem, exigens ab animâ suâ rationem de peccato seu vitio jam dicto ; et singulas diei partes præteritas percurrens, ab eâ horâ quâ surrexit usque ad præsentem, quoties illud commiserit, et puncta totidem signet in

priore lineâ figuræ subscriptæ; quibus peractis, denuò proponat, per spatium dici reliquum diligentiùs sese cohibere.

Tertium erit vespertinum tempus, in quo post cœnæ horam facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis ab examine priore usque ad præsens lapsis, et eodem modo rememoratis enumeratisque vicibus quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum signabit in posteriore lineâ figuræ, sequenti similis ad hoc præparatæ.

ADDITIONES QUATUOR, UTILES AD FACILIOREM ET CELERIOREM PECCATI SEU VITII CUJUSVIS EXSTIRPATIONEM.

Prima est, ut quoties id peccati seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admotâ, doleat de lapsu: quod fieri potest etiam assistentibus aliis, nec advertentibus.

Secunda est, ut sub noctem, numeratis comparatisque invicem punctis linearum (quarum prior priori examini, posterior posteriori assignatur) attendat, an à priore examine usque ad secundum aliqua successerit emendatio.

Tertia est, ut conferat diei secundæ atque

præcedentis examina invicem; considerans, ecquid sibi emendationis intervenerit.

Quarta, ut, collatis Hebdomadarum duarum inter se examinibus, pari modo factæ vel omissæ emendationis rationem habeat.

Item notandum est ex sequentibus figuris, primam cæteris longiorem deputari diei primæ, puta Dominicæ; secundam verò diei Lunæ paulò breviorem; et ita deinceps: cùm par sit diminui in dies erratorum numerum.

Declaratio textûs.

Ut Exercitia nostra spiritualia provehant devotionem, et pios sensus gignant, succedere iis debent bona desideria, desideriis sanæ electiones, proposita et conclusiones, hisce autem executio: cui dæmon novas solet opponere difficultates et impedimenta, eò quòd sine illâ Exercitia nostra futura sint velut arbor foliis quidem virentibus floribusque plena, sed congelata, et siderata, atque adeò fructum non proferens opportunum aut maturum.

Exercitium proximum maximèque conjunctum executioni est examen particulare.

Primò, Quia Exercitium illud tendit ad eradicandos defectus, vel ad virtutes sin-

gulares hîc et nunc et hoc modo proferendas : nam, ut dicit Philosophus, actiones nostræ circa particularia versantur. Et quia examinis particularis materia res una sola et singularis est, ideo omnis vis animæ, sollicitudo et attentio magìs sunt collecta. Et cùm defectus ille particularis sit radix multorum aliorum, evulsâ radice, omnes etiam rami concidant necesse est : sicque examinis particularis materia planè accommoda est propositis debitæ executioni mandandis.

Secundò, Forma etiam hujus Exercitii consistit in solâ executione : perinde namque est atque proponere talis verbi gratiâ vitii emendationem, incedere sollicitum et vigilem, ne in illud labatur ; reprimere se, mortificare se, tali verbi gratiâ occasione exigere à se rationem et numerum lapsuum, illumque totidem punctis in libro notare, unius diei errata cum alterius conferre. Unde patet, finem hujus Exercitii consistere in actuali defectuum emendatione, et particularis alicujus sive vitii sive peccati, sive rei exstirpatione. Et quia nullus unquam hoc Exercitium tam particulariter tractavit quàm S. Pater noster, ideò videtur hoc medium proprium esse hominum nostræ Societatis, ejusque spiritui accommodatissimum, qui potiùs in mor-

tificatione solidarumque virtutum exercitio, quàm in aliis devotionibus apparentibus et peregrinis, consistit.

Hujus Exercitii materiam difficile est assignare: ad tria tamen capita reduci potest.

Primum est, Quodvis vitium naturale aut morale contra Dei præcepta, vel Regulas et ordinationes, vel contra perfectionem alicujus virtutis; vel mali habitus, prava inclinatio, aut naturalis passio, et tandem quidquid emendari potest, est materia examinis particularis: quod quando fit circa hujusmodi vitia, debet esse instar præcepti negativi, quo quis ab omnibus illis abstineat.

Secundum est, Explere Exercitia vel actus virtutum, quos vel præcepto, vel Regulâ vel instructione aliquâ docemur: quæ omnia, quia præcepti sunt affirmativi, examinabis, an ea facias, quando, quomodo, et quoties præcipiuntur aut præscribuntur. Et hoc perinde est, ac examinare, ne in illa impingas. Et hæc est forma examinis, quod S. Pater noster iis præscribit qui Exercitia faciunt circa negligentias et defectus in materiâ additionum.

Tertium est, Sicut scriptæ sunt Additiones et instructiones pro Exercitiis spiritualibus, sic easdem singuli sibi possunt

præscribere circa alias virtutes, hoc est, quoties, quâ ratione aut modo in iis se exercere debeant; et ad hoc examen particulare adhibere, ut tot et tales actus exerceant in materiâ talis virtutis, examinando et notando defectus in ejus executione commissos.

Ut autem bene et prudenter materiam examinis particularis quis eligat, subjungentur postmodum aliquot circa hoc Regulæ.

Forma hujus examinis, et modus corrigendi defectus non consistit in actuum suspensione; nec in subitâ aliquâ mutatione, quâ quis uno velut impetu illos extinguere, et subitò inclinationum naturalium torrentem sistere velit: hæc enim nimis violenta sunt, nec tanta aut tam solida ex iis emendatio, quanta sanitatis jactura provenire solet; sed modus ille magìs familiaris, hominique conveniens sit necesse est, verbi gratiâ proponendo et executioni mandando, cadendo et surgendo, pugnando et expugnando pravam aliquam consuetudinem, in quem finem servanda sequentia.

Manè proponat sibi materiam aliquam particularem; et ne animum despondeat, si fortè pugna diuturna, et occasiones multæ animo ejus objiciantur: breve sibi

tempus proponat, verbi gratiâ, propositum excitet à matutino tempore usque ad meridiem tantùm, et non ultrà, et à meridie usque ad vesperam, statuendo diligenter sibi cavere hodiernâ die, non conjiciendo oculos in crastinum.

Interdiu sollicitus sit ne labatur: et si aliquoties errare contigerit, tantum absit ut animum despondeat, quin potiùs occasionem sumat nova proposita excitandi (qualia enim sunt proposita, talis solet esse profectus;) ita ut toties renovanda sint proposita, quoties in defectum labi contigerit.

Meridie ergo se examinet per quinque illa Puncta quæ examini generali sunt assignata, et tum iterùm nova in tempus vespertinum proposita excitet; et quoties errare contigerit, toties id in libello, quem ad hoc paratum habeat, eâ distinctione notet, ut vespertinum tempus cum matutino, unum diem cum altero, septimanam cum septimanâ, et mensem cum mense conferre possit: sibique persuadeat, considerationem eam defectuum tam particularem, et quotidianam illam sollicitudinem, multùm factura ad quosvis etiam defectus facilè eradicandos.

Hinc sequitur, quòd omnes in hoc Exercitium incumbere debeant tam rudes

et stupidi, quàm ingeniosi et magnæ capacitatis; tam qui contenti ordinario vivendi modo sunt, quàm qui ad perfectionem adspirant; tam incipientes et imperfecti, quàm qui multum profecerunt, omnemque, quæ in hac mortali vitâ haberi potest, perfectionem jam sunt consecuti: quia Exercitii hujus forma facilis est, et fructus non exiguus, ejusque materia magnam habet latitudinem, omnesque status comprehendit.

Tempus istius examinis aliqui judicant assignandum esse meridianum et vespertinum, ut S. Pater noster ipse declarat, quodque examini generali jungi debeat. Alii judicant, valdè inconveniens esse, utrumque illud examen, generale et particulare, eodem tempore confundere, et asserunt, fore occasionem ut neutrum bene fiat; ideoque particulare examen fieri debere meridie, et generale vesperi. Quod fundatur in verbis Constitutionum Par. 4. cap. 4. §. 3. ubi præcipitur, ut tempus detur *examinandis bis quotidie suis conscientiis;* et in 4. Congreg. c. 6. ubi hoc sic declaratur: *Consuetudo orandi in* SOCIETATE *quotidie per horam integram, præter tempus duplicis examinis quotidiani, tanquam pia et salutaris*, etc. ubi verbum hoc *duplicis examinis* non solùm

tempora duo designat, sed et duplicem modum examinandi. Et quod S. Pater noster ait, particulare examen fieri debere meridie et vesperi, intelligatur hoc tempore Exercitiorum, qua in re quisque more suo pergat, ita tamen ut neutrum omittat examen. Certum est, quòd examen particulare exactiùs fiet, si diverso fiat tempore.

Regulæ aliquot ad materiam examinis particularis eligendam.

Materia examinis particularis, ut dictum est, reducitur ad tria Capita : quæ sunt, corrigere defectus, Exercitia spiritualia accuratè facere, exercere se in aliquibus actibus virtutum. Et quia Exercitia spiritualia multiplicia sunt, et quæque virtus aut vitium suos actus, tanquam diversos ramos, habet, notandum est, non omnes simul sumendos esse, quod confusionem pareret, sed materia talis, et ita determinata et particularis sit, ut singuli ita eam ad manum habeant, ut numerare possint vices quibus hunc vel illum defectum commiserunt.

Conferet ad praxim, ponere exempla particularia in singulis tribus materiis jam designatis, ut videbitur in catalogo sequenti.

Materia examinis particularis circa defectus.

Gula. Primò, Foris, aut extra tempora, aut sinè licentiâ non comedere. Secundò, Delicatiora, aut particularia sinè evidenti necessitate non admittere. Tertiò, Non sinere se abripi gustu et suavitate ciborum, inter comedendum cogitationem ad aliam rem indifferentem divertendo.

Concupiscentia. Primò, Nihil habere, nisì cujus apud omnes communis sit usus. Secundò, Non habere nisì præcisè necessaria, quibusque carere nequeas. Tertiò, Non esse pertinacem aut importunum in petendo. Quartò, Nihil eligere, sed acceptare quod datur, paratum esse ad vilissima.

Castitas. Primò, Oculos, manus et aures custodire, et abstinere ab omni quod ad malum incitare potest. Secundò, Silentium servare, et maximè in verbis mollibus et illectivis. Tertiò, Sibi cavere à conversatione familiari, secretâ, periculosâ, amicitiis particularibus, et personis suspectis. Quartò, Sollicitum esse, ut cogitationes sint puræ in conspectu Dei.

Ira. Primò, In verba injuriosa et amara non prorumpere. Secundò, Non altè loqui

aut vociferari. Tertiò, Non conqueri, aut minari. Quartò, Iræ motus comprimere, non permittendo se abripi suspicionibus, detractionibus, aut vindictâ.

Lingua. Primò, Non loqui extra tempora, nec de rebus inutilibus, non contendere, nec altè loqui. Secundò, Non lædere famam absentis. Tertiò, Dictis aculeatis non pungere præsentes. Quartò, Non miscere sales et lepores minùs urbanos.

Superbia et vana gloria. Primò, Se non laudare, nec de se suisque rebus loqui; nec velle innotescere, si charitas et obedientia hoc non imperent. Secundò, Suos defectus non excusare. Tertiò, Nec directè nec indirectè honorifica prætendere, sed sui oblivisci, seque committere alienæ dispositioni. Quartò, Sine morâ cogitationibus vanis occurrere.

Modestia. Non agitare leviter caput; manus servare quietas; non corrugare frontem aut nasum; in cachinnos non prorumpere; pileum reliquumque vestitum habere decenter composita.

Circa Exercitia spiritualia.

Primum, Fecisse distributionem temporis in rebus quæ meo arbitrio relin-

quuntur, eamque exactè servare. Secundum, Omnia Exercitia spiritualia, quantum fieri poterit, suis horis facere. Tertium, Servare in illis accuratè Additiones et instructiones, etc.

Quoad MINISTERIA; Primò, Ea exactè facere, non se excusando, nec onus in alios rejiciendo, nec habendo acceptionem personarum. Secundò, Defectus suos circa suavitatem, maturitatem, rigorem, et negligentiam seu remissionem, etc. diligenter examinare, et remedio invigilare.

Quoad RECREATIONES; Firmiter statuere, nullam velle sine rei utilis narratione recreationem transigere, multoque minùs, si extra recreationum tempora cum domesticis aut secularibus agendum sit.

Circa Exercitium virtutum.

Actiones virtutum aliquæ sunt exteriores, aliæ interiores: et utrarumque producemus exempla, ut de illis examen particulare fieri possit, certas sibi vices præscribendo, quibus tales virtutum actus tam manè quàm vesperi erunt exercendi.

ACTIONES EXTERNÆ HUMILITATIS sunt: Prima, Demissè de se loqui, vel aliquem suum defectum in medium proferre, vel sua elevare. Secunda, Primum semper

aliis locum deferre in honore, idque verbis et re ipsâ, iis in omnibus cedendo, et cum illis tanquam cum Superioribus agendo. Tertia, Aliqua officia humilitatis obire; verbi gratiâ, ollas lavare, servire, sub mensâ comedere, aliorum osculari pedes, etc.

Actus interni humilitatis : Primus, Meos defectus agnoscere, et pro iis veniam petere. Secundus, Multa, in quibus alii me superant, notare, iisque me subjicere. Tertius, Proponere mihi occasiones contemptus et injuriarum quæ inferantur, earumque perpessione gaudere. In quibus omnibus opus est prudentiâ, ut non fingamus nobis chimæras in aëre; sed discursum reducamus ad res moraliter possibiles, statui et officio convenientes, ad earum lubentem tolerantiam animum disponendo, etc.

Actus exteriores obedientiæ : Primus, Ad pulsum campanæ et ad Superioris vocem accuratum esse. Secundus, Prompta et devota executio ordinationum et voluntatis Superiorum. Tertius, Officialibus subordinatis sine replicâ et cum humilitate obedire. Quartus, Æqualibus etiam et inferioribus in quibusdam rebus obedire, ipsorum se judicio, meo posthabito, et voluntati accommodando.

Actus interni obedientiæ : Primus, Voluntatem et judicium meum Superioris judicio submittere. Secundus, Actu bonam intentionem inter operandum exercere, verbi gratiâ, Hoc facio ut obediam. Tertius, Difficiles mihi obediendi occasiones proponere, et ad illas me disponere; idque cum prudentiâ, de quâ suprà.

Possunt etiam certo numero exerceri actus fidei, spei et charitatis, ad rectificandam intentionem, et similes actus, pro capacitate et dispositione illius qui se exercet.

Cùm tam multiplex sit examinis particularis materia, sequitur, ut illam eligam quæ mihi maximè convenit : ad quod me exercitare debeo conformiter quibusdam modis electionis, ponderando rationes sequentes.

Si examen particulare circa aliquem defectum faciendum sit, considerandum est, an gravis ille, aliis offendiculo et scandalo sit; an aliorum defectuum sit radix et causa; an ex vehementi aliquâ passione oriatur, quæ hominem à se abalienet atque abripiat, ita ut hinc majus sit periculum in illos frequentiùs impingendi; an secundùm statum præsentem negotiorum quæ tractentur, vel persona-

runi cum quibus ea tractantur, sit vicinior occasio in similes defectus relabendi.

Si verò examen faciendum sit circa virtutes, considerandum est, an hæc vel illa virtus meæ vocationi magìs conformis sit; an occupationibus et ministeriis, in quibus versor, magìs sit accommoda; an occurrat defectibus in quos frequenter labi soleo, et passioni in quam propensior sum, etc. Omnibus hisce consideratis, virtutem illam aut defectum, in quibus plures ex dictis rationes concurrunt, mihi pro examinis hujus particularis materiâ seligam.

MEDITATIO

DE PASSIONE DOMINI.

Hoc die fiet Meditatio de duobus illis Punctis circa Salvatoris nostri sacratissimam Passionem, quæ ex superiori Meditatione superfuerint, hoc est de ipsius opprobriis et doloribus. Quemadmodum enim inter alia tormenta, Christum Dominum Salvatorem nostrum spineâ coronâ coronarunt, quod ei et summæ fuit infamiæ summique doloris; ita hæc duo, infamia et dolor, sibi invicem in hac Regni Christi Coronâ innexa et copulata remanserunt, ut vix scias, utrum Christo gravius fuerit.

Quoad ignominiam, multùm illa crevit: Primò, Ex parte ipsius personæ, quæ erat verus Deus: quatenus verò homo, eò plus eam sensit quò nobiliori erat animo; majoremque jam inter homines æstimationem et honorem consecutus, majori ab iis humanitate et reverentiâ tractatus fuerat. Nihilominùs tamen Principes et Magistratus publicos se illi hostes professi sunt, mittentes qui extra urbem armatâ eum manu velut publicum latronem caperent; et vinctum sic, cum clamoribus et summâ vi in civitatem pertraherent. Cùmque plebs eum sic captum vinctumque, et tantâ ignominiâ affectum vidit, omnes (quod fieri solet) se in opinione, quam de ejus sanctitate conceperant, deceptos existimabant; et erroris sui pœnitentes, indignèque ferentes, quòd tanto hominem (suâ jam opinione) nequam et impostorem honore reverentiâque affecissent, errorem illum suum novis injuriarum et infamiæ inventionibus corrigere statuerunt; et sic in ipso completum est illud Isaiæ: *Et cum sceleratis reputatus est.*

Secundò, Crevit hæc ignominia ex parte illorum qui eam intulerunt: quia Legisperiti, Seniores, Pontifices, Sacerdotes, Magistratus et Judices, doctrinâ et religione maximè illustres, de quibus minor

erat suspicio, quasi aut ignari fuissent justitiæ, aut injuriâ injustitiâque se contaminare voluissent; ii, inquam, fuerunt, qui unanimi consensu, causâ in Concilio suo examinatâ, turbulentum eum et blasphemum declararunt, et dignum morte judicarunt : quod ipsum plebs tota instanter petebat, vimque Præsidi faciebat, quò ad illam eum condemnaret. Cujus post modum sententiæ milites gentiles, plebsque vilis et fæx populi executores fuerunt, violentas in eum manus, linguam, omni rejecto pudore, conjicientes. Inter carissimos discipulos unus eum hostibus vendidit; alius in suâ eum præsentiâ negavit, indignè quasi ferens, quòd cum eo vel conversatus fuisset, vel eum novisset; reliqui verò, eo deserto, omnes fugerunt. Quorum singula mirum in modum, ex parte eorum qui hanc ei injuriam fecerunt, dolorem ignominiamque auxerunt.

Tertiò, Augetur ignominia ratione enormium, de quibus eum accusabant, criminum; quæ erant : Quòd esset in Deum blasphemus; quòd saltem se ejus Filium diceret, et illi parem. Quòd proditor Regum, eorum sibi titulos et dignitatem usurparet, prohiberetque eis solvi vectigalia et tributa. Quòd impostor et turbu-

lentus, plebem ad seditionem et turbas excitaret, discipulos colligendo, quos novam et perniciosam doctrinam doceret, per Provincias et pagos discurrendo, et nusquam in certo domicilio subsistendo. Quòd magus et veneficus, qui falsis et apparentibus miraculis, dæmonum ope factis, plebem attonitam detineret, se offerens ad templi destructionem, asserens certò, se idem intra triduum vi verborum et incantationum absque manibus reædificaturum. Quæ omnia erant gravissima, odio multisque contradictionibus obnoxia, et in se multa alia concludentia. Quæ omnia postquam fervidè in suo Concilio egissent Legisperiti et Sacerdotes, posteà tam Præsidi Pilato quàm Herodi Regi minutatim articulatimque declararunt, constantissimè in omnibus eum nihil respondentem coram istis Tribunalibus accusantes.

Quartò, eadem ignominia augetur ratione illorum quæ in illum exercuerunt, utpote quæ plena essent doloris et opprobrii. Primò enim eum nocte, magnâ militum manu stipati, in horto comprehenderunt, vinctum eum per civitatem cum infamiâ raptantes, ejusque causam violentè perturbatèque examinantes : ubi ministrorum Pontificis unus, verbis pro-

brosis eum impudentiæ arguens, spectante suo domino et Sacerdotum Concilio, alapam ei in faciem impegit. Illi verò quibus eâ nocte custodiendus committebatur, totam eam in injuriis ei inferendis consumpserunt : oculos enim illi velabant, faciem sputis fœdantes, alapas ei infligentes, eumque cædentes, velut falsum mendacemque prophetam ridebant. Eodem item die ad varia eum Tribunalia raptarunt. Herodes eum, quò omnium risui exponeretur, albâ veste tanquam fatuum induit. Pilatus ignominiosè eum veste exuit, quò tanquam publicus latro flagellaretur. Gentilium cohors eum velut fictitium Regem ridendo salutavit adoravitque, fustibus spineam illam coronam ejus capiti imprimendo. Nec populus Judæorum eum Regem admittere voluit, sed publico cum latrone, homicidâ, et seditioso collatum rejicientes, turbulentum illum et seditiosum hominem libertate donarunt, Auctorem verò vitæ vitâ indignum judicarunt : furorem etiam hunc suum in ejus saltem præsentiâ non cohibentes, eum omnia spectantem audientemque ad crucem magnis vocibus postularunt. Condemnavit eum judex : et licèt ipsum mortis genus ex se valdè fuerit infame, illud tamen ipsi duorum latronum societate magis

infame reddiderunt, cogendo infame illud crucis lignum ferre, et tandem, cum summâ ignominiâ, nudum eum coram totâ illâ spectantium multitudine cruci affigendo. Quibus omnibus necdum saturi, agonizantem, et cum mortis angustiis jam quasi luctantem, gravioribus blasphemisque verbis adorti sunt, gravissima, ficta et à se inventa ei crimina exprobrantes. O Deus hominum gloria honoratorque! quis te omni honore et gloriâ dignissimum ita contempsit vilemque reddidit?

Tandem, quod ad dolores corporis attinet, tanti illi et eo numero fuerunt, ut verè dici potuerit: *A plantâ pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Totus ipse factus fuit unum vulnus instar leprosi, ita ut ei non remanserit neque color, neque species, neque forma, quâ cognosci posset. Dorsum erat laceratum, totumque corpus flagellis concisum, humeri crucis pondere contusi, pectus divulsum et extensum in cruce, caput spinis perfossum, et ob durissimam noctem debile vigiliisque confectum, capilli evulsi, mentum barbâ nudatum, facies alapis cæsa, venæ sanguine vacuæ, os siti aridum, lingua oblato felle amara, tibiæ et brachia ita in cruce extensa, ut ossa om-

nia numerari potuerint : manus pedesque terebrati, et per eadem ipsa vulnera obtusis trabalibusque clavis confixi ; quæ eadem ipsâ corporis mole mirum in modum dilatata sunt : et cor tandem afflictissimum, angustiarum dolorumque vi ad portas mortis redactum.

Nec tantùm in eo quod passus est, verùm ex causis et passionis modo, clarè patuit homine majorem fuisse eum qui patiebatur.

Causa ejus passionis fuit pro Justitiâ, pro veritate, et ad majorem Dei sui Patris honorem et gloriam, ut satisfieret præcepto quod hic ei imposuerat; pro omnium hominum qui vivunt, vixerunt, viventque publico bono, et æternâ salute, permittendo se spoliari temporalibus omnibus bonis, omniumque mortalium amicitiâ, famâ, honore, salute et vitâ, ne in minimo suæ charitatis et obedientiæ fructu privaretur ; præstantissimo nobis relicto exemplo ad contemnendas res omnes quæ nuncupantur prosperæ, et aggrediendas adversas, omniumque quæ in mundo sunt horribilissimas, quando id ad majorem Dei gloriam foret.

Et ille fructus est, quem ex hac Meditatione colligere studebimus, semper oculos in Redemptorem nostrum conjicientes,

qui tam pauper, à suis omnibus desertus, hostibus circumdatus, omni quasi honore exutus, in terram prostratus, summis in doloribus et tormentis, nunquam vel in minimo animo se dejectum aut victum ostendit, nec unquam aliquid à suâ Majestate aut decoro alienum admisit, quin potiùs brachia animosissimè extendit, divinam in se latentem virtutem manifestans, et crucis illud pondus (quod solus poterat) fortiter ferens.

OCTAVUS DIES.

De quartâ Septimanâ.

Sicut prima Septimana ad viam purgativam, et secunda ad illuminativam, sic quarta ad unitivam spectat, in quâ sita est perfectio, uti scriptum est : *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psalm. 72. Unio cum Deo in hac vitâ fit mediantibus tribus animæ potentiis, et bonorum operum exercitio : nimirum, Memoriâ eum nobis præsentem sistendo; Intellectu penetrando ejus attributa et perfectiones, et creaturarum ejus excellentiam, modumque quo ab ipso procedunt et dependent; Voluntate nos per amorem in eum transformando ; et per bona opera ejusque imitationem, et solidarum virtutum exercitium ei nos assimilando. Status hic, sicut inter eos quos in hac vitâ consequi possumus, summus est et perfectissimus, ita est maximè vicinus et similis ei qui est in gloriâ : ubi Deus unitus est Memoriæ per suam continuam præsentiam, Intellectui per claram sui visionem, Voluntati

per firmum solidumque amorem, toti denique animæ, ipsam in suam similitudinem transformando, uti dicitur : *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* 1. Joan. 3.

In hunc finem totum nostrum iter spirituale dirigitur : nam sicut in gloriâ nos ultimo fini unimur, eumque amplectimur tribus animæ potentiis, et perfectam ejus essentiæ participationem per gratiam consummatam consequimur; sic in hac vitâ, statim à conversionis nostræ initio, post propositum nobis in fundamento ultimum finem, ad illum tendere incipimus Exercitio trium potentiarum, et bonorum operum executione, quò efficaciter pertingere debet Voluntas, ut in sanctitate et innocentiâ Deo similis fieri possit. Porrò illa via, claritatis gratiâ, in purgativam, illuminativam, et unitivam dividitur. Et licèt in omnibus illis ad Deum accedamus,

In primâ tamen major habetur ratio termini quem deseruimus, et unde discessimus; hoc est, à peccatis, passionibus, perversisque inclinationibus et consuetudinibus : et ideo ea vocatur via purgativa.

In secundâ, Ægyptiis, qui nos persequebantur, jam demersis, oculi nobis

conjiciendi sunt in vastissimi deserti iter, quod ad terram usque promissionis extenditur; hoc est, ambulandum nobis est per longa virtutum spatia, amori proprio, sensuali et mundano bellum indicendo, et reliquas electionum difficultates superando, donec ad medium virtutis perveniamus. Et quia hoc iter nobis aperit Christus Dominus noster, qui est vera lux mundi, ducemque se suo exemplo et doctrinâ nobis præbet, vocatur via illuminativa.

In tertiâ, oculus jam conjicitur in terminum, in quo nobis sistendum est, et cui nos unire, et in quo à labore quiescere debemus: et hinc via unitiva vocatur, habetque se instar viatoris, cui, cùm eminùs terminum, ad quem tendit, conspicit, reviviscunt vires, crescitque pergendi desiderium, ita ut nec oculos ab eâ civitate nec cogitationes removere possit; imò in eâ jam cum omnibus suis potentiis et sensibus præsentem se imaginatur; omnisque ejus in hoc versatur cura, ut tandem etiam corpore pertingere possit. Nam iis, qui ad hunc statum perveniunt, contingit, ut postquam peccata sua defleverint, passiones suas mortificaverint, affectus contrarios superarint, seque in virtutibus generosè exercuerint, nova eis

oriatur lux, certaque quasi securitas, finem quem prætendunt adipiscendi: tantò autem eum desiderant vehementiùs, alacriusque ad eum tendunt, quantò magìs ad hunc omnes animæ suæ vires habent collectas, quas antè, propter passiones suas malè mortificatas, in varia dispertitas effusasque habebant.

Hinc collige, quòd ille unionis status, licèt hujus vitæ et perfectionis, quam hìc homo consequi potest, intuitu sit velut terminus, respectu tamen beatitudinis vitæque futuræ sit status itinerantis; et hinc vocatur via unitiva: quia qui unionem vocat, dicit terminum et quietem; et qui viam dicit, supponit motum et iter. Terminus est respectu præteriti, via respectu futuri. Sicut qui iter facit, cùm jam oculis cernit locum ad quem tendit, eique appropinquat, dicitur ad locum jam pervenisse respectu itineris facti: quia civitatem, turres et ignes videt, campanas, horologia, hominumque clamores audit, euntibus et redeuntibus occurrit; et hinc jam à viâ se aberrare non posse, nihilque occursurum, quod ab introitu eum impedire possit, existimat, et sic aliquo modo dici potest ad civitatem pervenisse. Verùm si eos qui in civitate sunt consideres, verè adhuc iter facit, nec ad ter-

minum pervenisse dicendus est; quia in iniquum aliquem locum incurrere potest, et labi, et in ipso etiam portu aliquando naufragii periculum est. Tandem, nullo modo subsistendum aut quiescendum illi est: si enim non pergat, ad terminum non perveniet. Hæc eadem, ut dictum est, eorum est sors, qui ad hunc statum pervenerunt, qui in hac quartâ spectatur Hebdomade.

Finis hujus Septimanæ est, primus, clariorem Dei notitiam et amorem consequi; secundus, perfectior earum virtutum quæ charitatem sequuntur exercitatio.

Affectus, qui maximè hîc quæruntur, sunt duo. Primus, Aliquid hîc gaudii ejus et lætitiæ, quâ Beati in cœlo perfunduntur, quamque Deus suis communicare solet, prægustare. Secundus, Perfectè intelligere quid Deus nobis sit, cum affectu et desiderio reddendi vices, allaborandique ut par pari referamus.

Quoad primum, Multùm nos juvabit consideratio Resurrectionis et gloriæ Christi, apparitionum, et solatii quo suos tum perfudit, ejusque quo eos, in maximis etiam persecutionibus afflictionibusque, recreare consuevit; Meditatio item de gloriâ Sanctorum.

Quoad secundum, Multùm juvabit con-

sideratio perfectionum et beneficiorum Dei, eo modo qui in Exercitio amoris Dei nobis proponitur.

MEDITATIO

DE PRÆMIO ET CONSOLATIONE JUSTORUM.

Ut in unum colligamus, unaque comprehendamus Meditatione omnes materias, quæ gaudium lætitiamque spiritualem in nobis excitare promovereque possunt, et hac quartâ Septimanâ quæruntur, poterunt considerari sequentia Puncta.

Primum Punctum est. Sicut Jesus Christus Dominus noster imago fuit justitiæ et sanctitatis, cui debent se conformare omnes prædestinati (Rom. 8. *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, etc.) sic etiam est exemplum gloriæ, quâ omnes beabit. Consideremus ergo gloriam Christi Jesu, quæ in ejus Resurrectione apparuit; in quâ corpori communicatæ sunt quatuor dotes, impassibilitatis nempe, subtilitatis, agilitatis, et claritatis. Item ejus divinitatem, quæ Passionis tempore quasi abscondita videbatur, tunc verò se manifestavit: Primò, in sui nominis exaltatione: tum enim eum agnoverunt, crediderunt, et adorarunt

tanquam Filium Dei. Philip. 2. *Et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Secundò, in plenitudine potestatis ei datæ. *Data est mihi omnis potestas*, etc.

Gaudeamus ergo, primò, de gloriâ Christi; quam tantis sibi laboribus comparavit; secundò, de spe, quæ nobis aperitur, quòd tanquam membra participes simus futuri ejus gloriæ, quâ caput nostrum potiri videmus. Philip. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

Secundum Punctum. Hanc gloriam Christus Dominus noster incipit suis communicare in hac vitâ, quantum miser hic nostræ peregrinationis status ferre potest, primò, suâ providentiâ paternâ in necessitatibus temporalibus; secundò, abundantiâ donorum divitiarumque spiritualium; tertiò, spe æternæ retributionis.

Duo sunt quæ justos hîc affligere solent, defectus et peccata commissa, et pœnæ præsentes. In hisce duobus Christus perfecti consolatoris munere fungitur: peccata enim remissa gaudium et consolationem pariunt: uti filiis Israël magno solatio fuit, videre hostes suos Ægyptios submergi; et ut sanitas iis, qui cum diuturno morbo conflictati fuerunt. Præter

hæc, in adversis patientia securaque conscientia magni nobis gaudii materiam præbent, propter fiduciam in Deum, qui in necessariis nobis non deerit : via enim Crucis securissimos nos reddit propter magnum gloriæ pondus, quod leve illud tribulationis nostræ in nobis operatur; et quia sic CHRISTO Domino similes reddimur, et Dei nos voluntati conformamus. Quæ omnia in nobis efficiunt, non tantùm ut patientiam habeamus, sed etiam in tribulationibus, ut dicit Apostolus, gloriemur. Hujus solatii, quod in hac vitâ à CHRISTO Domino nostro consequimur, exemplum habemus in eo, quòd post Resurrectionem, quotiescunque Salvator noster suis apparebat discipulis, toties pacem suam eis et amicitiam, non obstante Petri negatione aliorumque scandalo, liberaliter offerret, dicens : *Pax vobis.* (Joannis 20.) vulnera sua rutilantia et gloriosa eis ostendens, quò ad patientiam et crucem ferendam eos animaret.

TERTIUM PUNCTUM. Vitam hanc nostram tandem excipit ipsa mors, quâ non exigua justis solatii occasio offertur :

Primò, Propter peculiare CHRISTI Domini nostri auxilium. *Et si abiero, et præparavero vobis locum ; iterùm venio, et accipiam vos ad meipsum.*

Secundò, Quia iis molestum non est, mundi hujus bonis tum spoliari, qui dum viverent, iis se exuerant, fortiterque dimicarant, ne iis implicarentur : quinimò mors illis eo potiùs titulo grata est, quòd molesto illos hoste liberet, eximatque ex carcere, omniaque ita contemplationis perfectæ impedimenta tollat. Psalm. 141. *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.*

Tertiò, Non eos tum affligit mala conscientia, sed potiùs eos recreat bona; summæque eis consolationi est, in præparationem ad mortem vitam impendisse: nec tum remorsu illo et angustiis quibus vexantur mali, fatigantur : ideo super illis verbis Luc. 12. *Ut, cùm venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei;* dicit S. Gregorius : *Qui autem de suâ spe operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus judicem sustinet; et cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de gloriâ retributionis hilarescit.*

Quartò, Quia tum jam gloriæ vicinus, quædam quasi ejus initia percipit in quiete illâ et gaudio, in securitate et fiduciâ, perfectioreque Dei, Angelorum et Sanctorum notitiâ, etc. ita ut cum novo illo quem haurire incipit aëre, anima è corpore egredi festinet.

QUARTUM PUNCTUM. In die judicii etiam peculiariter lætabuntur boni.

Primò, Quia ex signis illis terribilibus, quæ in toto tum universo parebunt, facilè colligent redemptionem et gloriam sibi imminere, ut ait Salvator. Luc. 21. *Respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Secundò, Propter gloriosi corporis resurrectionem; quæ perinde se habet, quasi Deus hominem crearet, novamque ei vitam infunderet et gloriam novam, ita ut hinc in sacris Litteris ea vocetur regeneratio.

Tertiò, Propter separationem illam bonorum à malis, qui, dum in mundo viverent, erant invicem permixti. Matth. 25. *Et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris*, et propter loci nobilitatem, ad quem boni tum transferentur: nam damnandis in terrâ consistentibus, eique quasi affixis, boni, ut dicit Apostolus, levabuntur in aëra, ut sic CHRISTO in nubibus gloriosè occurrant.

Quartò, Quia eorum tum merita toti mundo innotescent, eosque tum coram Patre suo et Angelis confitebitur, et tanquam suos agnoscet JESUS CHRISTUS, omnibusque honoribus cumulabit. Joan. 12. *Honorificabit eum Pater meus*, etc.

Quintò, Propter dignitatem illam judicialem, quam super impios accipient: nam per eorum opera et exempla impii illi condemnabuntur. Matthæi cap. 19, *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.*

Sextò, Propter optatissimam, eamque definitivam, quæ in causâ salutis æternæ à Judice feretur sententiam, regnique æterni possessionem. Si enim cùm iis aliqua in hoc mundo super pauculis obolis favorabili sententiâ concluditur, tantum sit gaudium; quanta erit justis lætitia in die illâ, quando suis ipsi auribus audient, *Venite benedicti Patris mei*? Matth. 25.

Quintum Punctum. Sequitur sententiæ illius executio cum præmio æternæ gloriæ: in quo, quæ Deus diligentibus se paravit, *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* 1. Cor. 2. hoc tantùm scimus, quòd regnum illud sit regnum Dei; in quo Jesus Christus est Rex, ejusque sanctissima mater Regina, et aulici, omnes Angeli et Sancti Dei. Qui omnes ita inter se et cum suo Rege uniti sunt, velut cum suo capite membra. Scimus quòd anima ibi sit futura in suo centro, possessioneque ultimi finis, qui consistit in clarâ visione Dei: item, quòd

omnes ibi sensus perfruentur voluptatibus, quæ istius loci puritati, et magnificentiæ, et animæ, quæ tota in Deo absorpta est, congruunt. Scimus item, quòd locus ille altissimus sit in cœlo empyreo, in quo Agnus suas celebrabit nuptias, et amicos suos clarâ divinitatis suæ visione tanquam convivio excipiet, eosque omni voluptate et deliciis æternum duraturis, quas in suæ omnipotentiæ sapientiæque secreto apud se conclusas habet, munificentissimè perfundet : hoc scilicet est quod Deus suis præmium promisit ; ex cujus consideratione resultabit omnium rerum creatarum contemptus, constantia in laboribus piis ferendis, prægustatio æternorum bonorum, perfecta cum Deo conjunctio et amor, solidarum denique, quæ à perfectâ proveniunt charitate, virtutum exercitatio.

MEDITATIO

DE AMORE DEI.

Ad majorem hujus quartæ Septimanæ notitiam, hodie institui potest Exercitium de amore Dei, ut in fine quartæ Septimanæ Exercitiorum S. Patris nostri habetur.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri sic habet :

CONTEMPLATIO AD AMOREM SPIRITUALEM IN NOBIS EXCITANDUM.

In primis duo notanda sunt. Primum, Quòd amor ipse ab operibus magìs quàm à verbis pendet. Secundum, Quòd amor consistit in mutuâ facultatum, rerum et operum communicatione, puta scientiæ, divitiarum, honoris, et boni cujuscunque.

ORATIO *præmittitur ex more.*

PRÆLUDIUM PRIMUM *est, ut coram Domino, Angelis Sanctisque omnibus mihi propitiis stare me videam.*

SECUNDUM, *ut gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum ejus in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem, cultum et servitium ipsius totum me impendam.*

PUNCTUM PRIMUM *sit, revocare in memoriam beneficia creationis ac redemptionis; dona itidem particularia seu privata enumerare, et cum intimo affectu perpendere, quantum meâ causâ benignissimus Dominus egerit atque pertulerit; quantum mihi elargitus sit de thesauris suis, quodque, juxta divinum suum de-*

cretum et beneplacitum, seipsum mihi, quantum potest, donare velit : quibus optimè inspectis, vertar ad meipsum, et disquiram mecum quæ meæ sint partes, et quid æquum justumque sit ut Divinæ offeram et exhibeam Majestati; haud sanè dubium, quin mea omnia offerre debeam ac meipsum cum summo affectu, et verbis hujuscemodi vel similibus : Suscipe, Domine, universam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum : amorem tui solum cum gratiâ tuâ mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultrà posco.

SECUNDUM *erit, Speculari Deum in singulis existentem creaturis suis; et elementis quidem dantem, ut sint; plantis verò, ut per vegetationem quoque vivant; animalibus insuper, ut sentiant; hominibus postremò, ut simul etiam intelligant : inter quos accepi et ipse universa hæc beneficia, esse, vivere, sentire, ac intelligere; meque templum quoddam suum efficere voluit, ad imaginem suam et similitudinem creatum. Ex quorum omnium admiratione, reflexus in meipsum, agam ut in primo Puncto, vel melius si quid occurrerit. Id*

quod in Punctis etiam sequentibus erit factitandum.

TERTIUM *est*, *Considerare eumdem Deum ac Dominum propter me in creaturis suis operantem et laborantem quodammodo, quatenus dat ipsis, conservatque id quod sunt, habent, possunt, atque agunt. Quæ omnia, ut suprà, in mei considerationem reflectenda erunt.*

QUARTUM, *Prospicere quo pacto munera et bona omnia cœlitus descendant, ut sunt potentia, justitia, bonitas, scientia, et alia quælibet humana perfectio terminis quibusdam certis circumscripta, quæ ab infinito illo totius boni thesauro, sicut lumen à sole, et ex fonte aqua, derivantur. Addenda superest reflexio prædicta in mei circumspectionem. Colloquium etiam in fine fiet, terminandum cum Pater noster.*

Declaratio hujus Exercitii.

NOTA PRIMA.

INITIO hujus contemplationis duæ ponuntur Notæ : quarum prima desumpta est ex Proverbio Hispanico, Amor in rebus, non verbis consistit ; et ex eo quod dicit Apostolus, 1. Joan. 3. *Filioli mei, non*

diligamus verbo, neque linguâ, sed opere et veritate. Amor ille in Deum, qui in solis consistit verbis, est ille qui in solis cærimoniis externis hæret; de quo dicitur, Psal. 77. *Et dilexerunt eum in ore suo, et linguâ suâ mentiti sunt ei : cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Non enim recta illud in Deum dirigebant. De talibus loquitur ipse Salvator, Lucæ 6. *Quid autem vocatis me Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* Unde patet, quòd verba, quantumvis bona, bonorum operum defectu à Deo tanquam ficta rejiciantur.

Amor, qui in verbis consistit, est etiam is qui in affectibus voluntatis hæret; et ille vel est fictus, vel debilis, cui nempe ad exsecutionem vires desunt : ille verò qui in operibus est, efficax est ad opera, et se ad perfectam mandatorum Dei observantiam et ejus consilia amplectenda extendit, et beneplacito divinæ voluntatis, quantum in hac vitâ fieri potest, se conformat. Illam Salvator nobis regulam præscribit, quâ in amoris hujus notitiam veniamus : *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea servate;* et, *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Joan. 14. Et ille amor fortis et operator vocatur. Psal. 118. *Juravi et statui custodire judicia*

justitiæ tuæ; et Psalm. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*

Nota secunda.

Hac Notâ declaratur in quo operum genere amor hic consistat; in eo nempe, quòd amicus amicum bonorum suorum participem faciat. Quare sibi nemo persuadeat, quòd gratìs amorem hunc sit consecuturus; sed magno ei constet necesse est, etsi id fieret cum omnium bonorum suorum dispendio. Ideo qui in hoc amore seriò se exercere desiderat, ad bonorum omnium, honoris etiam et commoditatum suarum jacturam, si necesse foret, quò amato servire et placere possit, sibi subeundam paratus sit; et sanitatem, scientiam et talenta omnia lubens etiam in ejus obsequium et beneplacitum impendat. Quæ omnia optimè respondent secundæ Septimanæ, ubi agitur de imitandâ Jesu Christi paupertate et humilitate, non tantùm affectu et voluntate, sed effectu etiam et re ipsâ; non tantùm majori, sed et pari Dei gloriâ et obsequio posito, quo magìs se ei similem efficiat.

Præludium primum.

In primo Præludio Deum mihi præsen-

tem imaginabor vultu benigno et amico, Angelis et Sanctis suis circumdatum, qui pro me apud eum intercedant : ista enim loci compositio fidem auget, spem roborat, et ad amorem, qui hujus Exercitii finis est, excitat.

Præludium secundum.

In hoc secundo Præludio docemur, in quid toto hoc Exercitio, seu Contemplatione, ad amorem excitandum, collineare debeamus ; et quomodo cum duabus illis Notis, quæ ejus fundamentum sunt, conveniat. Nam si amor in operibus consistit, et quidem in operibus reciprocis et bonorum communicatione inter eos qui se invicem amant, videndum est quomodo Deus homines amaverit, et quâ eos munificentiâ bonorum suorum omnium participes fecerit, ut ad similem erga Deum liberalitatem se homines excitent, amoremque illum Dei erga homines, non solùm ut excitamentum et amoris fomitem, sed etiam tanquam normam et exemplum ejus quo in Deum vicissim ferri debent, sibi proponant juxta illud 1. Joan. 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos;* et, *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus*

prior dilexit nos. Et hic finis est hujus Exercitii, et fructus quem ex eo colligere debemus : quod ipsum in hoc secundo Præludio à Deo petimus, ut nempe magnitudinem beneficiorum ejus perspiciamus. Et hæc est notitia liberalitatis quâ Deus erga nos usus fuit, et beneficiorum quæ à liberali ejus manu accepimus, quò eorum magnitudinem perspicientes, ad amorem et obsequium divinæ Majestatis nos impendamus : hoc est, ut ego, tantam in me Dei munificentiam considerans, disquiram quæ meæ vicissim sint partes ; et an non justum sit et æquum, ut totum ego me divinæ Majestatis obsequio amorique consecrem. Et in eâ gratitudine divinique amoris imitatione fundantur quatuor amoris erga Deum gradus, in quatuor Puncta partiti.

Punctum primum.

In hoc primo Puncto Nota primo, quòd materia Meditationis in hoc primo amoris gradu sunt beneficia divina; quæ rationes valdè prægnantes et copiosas, quibus hic in nobis excitetur amor, suppeditant : quia, ut communi Proverbio dicitur, Dona et munera altissimos etiam montes penetrant; et Salomon, Proverb. 22. *Qui*

dat munera, animam aufert accipientium. Beneficia hæc à S. Patre nostro ad tria reducuntur capita, Creationis nempe, Redemptionis, et Donorum particularium. Sub Creatione comprehenditur esse animæ et corporis, cum omnibus suis membris, potentiis et sensibus; item conservatio, cum omnibus bonis naturalibus quæ ad illam diriguntur. Sub Redemptione, omne quod CHRISTUS Dominus noster fecit, et pro nobis in corpore suo mortali passus est; uti et Sacramenta, quæ pro nostrâ omnium salute instituit. Dona particularia sunt innumera, et quotidiana, eaque divinam providentiam et peculiarem Dei erga nos amorem nobis solent clariùs detegere, nosque magìs obligare ad gratitudinem ei vicissim amoremque reddendum. Et hæc sunt quæ ad materiam Meditationis pertinent, in quâ memoria sese occupare debet.

NOTA SECUNDO Circumstantias quas in singulis illis beneficiis ponderandæ sunt; quæ ad tres reducuntur.

Prima, *Quantum meâ causâ benignissimus Dominus egerit*, tam in creatione et conservatione, quàm in redemptione, tantum agendo et patiendo, ut meis prospiceret necessitatibus.

Secunda, *Quantum mihi elargitus sit*

de thesauris suis tam in donis naturalibus quàm gratiæ, divitiisque, quibus me ornavit. Et in illis verbis, *quantum de thesauris suis mihi elargitus sit*, peculiarem vim facit, alludendo ad ea quæ in secundâ Notâ dictæ Contemplationi præfiguntur : *Amor consistit in mutuâ facultatum et operum communicatione, puta scientiæ, divitiarum, honoris et boni cujuscunque.* Et hìc mihi considerandum, quàm abundanter Deus Dominus noster hoc ex suâ parte compleverit, et quantum mihi de thesauris suis elargitus sit.

Tertia, Ponderandum valdè quid nobis dederit, et quid nobis dare velit; quòd nempe, præter ea quæ nobis dedit *juxta divinum suum decretum et beneplacitum, seipsum mihi, quantum potest, donare velit.* In omnibus porrò beneficiis quæ Deus nobis præstitit et præstare vult, circumstantia illa benè notanda est, quod nunquam ejus liberalitas iis exhauriatur aut imminuatur, sed potiùs ei crescat desiderium majoribus eam beneficiis augendi : quæ omnia eò diriguntur, ut seipsum nobis in pacificâ gloriæ suæ possessione donet.

Nota tertio, Fructum qui ex hac Meditatione hauriri debet, hunc esse : *Vertar ad meipsum, et disquiram mecum quæ*

meæ sint partes, et quid æquum justumque sit ut divinæ offeram et exhibeam Majestati; haud sanè dubium, quin mea omnia offerre debeam ac meipsum. Et hæc verba, *quæ meæ sint partes, et quid æquum justumque sit ut divinæ offeram et exhibeam Majestati*, etc. ideò posuit, ut respondeant verbis similibus quæ ex parte Dei erant posita, *quantum mihi de thesauris suis elargitus sit.* Sic enim completur quod in secundâ Notâ dictum est; quod *amor consistat in mutuâ facultatum et operum communicatione*, etc. ita ut homo, se tantâ beneficiorum et misericordiarum Dei mole obrutum sentiens, illa verba, quæ sanctum illum Regem David sollicitum habebant, frequenter repetere debeat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* etc. et in se nihil quod suum sit Deo dignum reperiens, Deo totum, quod ab ipsius liberali manu accepit, restituat, divinæ Majestati corpus cum omnibus sensibus, animam cum omnibus potentiis, libertatem, bona omnia, salutem, honorem, ipsam denique suam vitam offerendo, ac si diceret: Quidquid habeo vel possideo mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Hinc orietur ut deinceps se consideret tanquam rem alienam,

non suam, et novo titulo in vicem beneficiorum Deo obnoxiam.

Nota quarto, Quòd sanctus Pater noster, velut magnus vitæ spiritualis magister, à primo primæ Septimanæ Exercitio, in quo timorem in nobis excitare conatur, et ab initio viæ purgativæ usque ad conclusionem viæ unitivæ, et postremum quartæ hujus Septimanæ Exercitium, in quo nos ad amorem excitat, totum illum meditandi et contemplandi modum fundet in usu et exercitio trium potentiarum; ut clarè patet ex partibus hujus primi Puncti, et ex tribus quas attulimus Notis.

Quia primum est, in memoriam revocare beneficia accepta, ea ad certa capita pro memoriæ subsidio reducendo, ut in primâ Notâ dictum est.

Secundum, summo affectu circumstantias omnes beneficiorum considerare, quas ad tres reducebamus : quod ad intellectum pertinet; ut in secundâ Notâ apparet.

Tertium, se totum Deo offerre, et summo affectu ad mandatorum ejus observantiam se accingere : quod voluntatis est; ut in tertiâ Notâ. Et sic in sequentibus Punctis procedendum est.

PUNCTUM SECUNDUM.

SECUNDUS amoris gradus est, non tantùm se suaque omnia ad divinæ voluntatis obsequium obtulisse, sed etiam omni cum actuali reverentiâ et consideratione (quantum miseri hujus exilii status, et divinæ gratiæ favorisque lumen permittit) Deum sibi præsentem statuere. Nam sicut Regis alicujus subditi fideles, qui se totos ejus obsequiis et obedientiæ manciparunt, non omnes illi adsunt, aut in ejus familiâ coram eo versantur; sic omnes qui Deum amant, ejusque se servitio consecrarunt, non semper in ejus præsentiâ cum actuali attentione assistunt. Et sicut cùm aliquis semper suo Principi adest, animi ejus sensa, etiam in rebus minimis et particularibus, ex ejus vultu facilè percipit; sic fructus, qui ex illâ actuali præsentiâ hauritur, ille præcipuus est, ex luce divini ejus aspectus accipere clariorem beneplaciti ejus cognitionem, quod maximè iis in votis est, qui illud explere desiderant; juxta illud, Coloss. I. *Non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus.* Ut ad gradum hunc amoris perveniamus, multum juvabit secundum Punctum hujus Exercitii: in quo

NOTANDUM, Quòd materia ejus sit, in memoriam revocare, et considerare, quomodo Deus in suis creaturis existat : et quòd non solùm eis beneficia præstet, sed illis etiam per se præsens sit, quò illas conservet : *elementis*, dando illis *ut sint; plantis verò, ut per vegetationem quoque vivant; animalibus, insuper ut sentiant; hominibus postremò, ut simul etiam intelligant.* Quia verò plus propriis movemur beneficiis quàm alienis, intellectu ponderandum est, quomodo omnes existendi gradus, qui in reliquis creaturis sparsim inveniuntur, in homine simul collecti reperiantur, omniumque eorum ratione Deus præsens sit : in me, dando ut sim, ut vivam, ut sentiam, et intelligam. Quæ omnia beneficia sunt spectantia ad creationem. Et super omnia, me *templum quoddam suum efficere voluit :* qui particularis quidam modus est, quo Deus homini, et non aliis creaturis corporalibus, præsens est : quia in homine, tanquam Dei imagine et similitudine, innotescit Deus, creditur, et amatur, coliturque velut in suo templo. Porrò cùm Deus homini tam arctè per suam præsentiam se communicaverit, restat, ut homo in se reflexus tanto beneficio respondeat, in Dei se semper præsentiâ statuens, oculis

illum suis repræsentans, certoquè sibi persuadens, in ipsius semper se oculis versari : unde sequitur, quòd in primo amoris gradu homo se totum Deo ejusque divino beneplacito offerat ; in hoc autem secundo ulteriùs procedit, quia magìs se divinæ Majestati per ejus præsentiam conjungit, lumenque accipit, quo, quid maximè ejus divinæ voluntati circa suas actiones gratum sit, clarè cognoscat.

Punctum tertium.

Tertius amoris gradus est, voluntatem Dei exsecutioni mandare in Dei præsentiâ, et cum hominibus sic conversari, ut illa cum Deo familiaritas non intermittatur, et ita laborare, ut nullam internæ quietis jacturam incurrat ; ita ut præsentiæ Dei addatur exsecutio voluntatis Dei. Hoc ipsum invenitur in Dei erga nos amore, ut bene S. Pater noster in tertio Puncto his verbis: *Tertium est, considerare eumdem Deum ac Dominum propter me in creaturis suis operantem et laborantem quodammodo*, id est, habentem se ad modum laborantis, *quatenus dat ipsis, conservatque id quod sunt, habent, possunt, atque agunt; quæ omnia, ut suprà, in mei considerationem reflectenda erunt.* Ut intelligam

quæ illa sit in me ipsum reflexio mihi necessaria; quò respondeam tertio isti amoris gradui,

Notandum primo, Quòd sicut Dei præsentia in creaturis non est otiosa, sed eas regit, movet, gubernat, et cum illis operatur, et quodammodo laborat, semper et ubique illarum operationibus et motibus invigilando; sic et in nobis Dei præsentia non debeat esse otiosa, sed laboriosa et operativa, et quæ Dei voluntati perficiendæ nusquam se subducat. *Servus* enim *qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Velut etiam justam domini sui indignationem incurrit servus liberaliter et lautè habitus, qui, quò domini sui præsentiâ non privetur, operari aut laborare non vult: econtrariò, ad majorem cum domino suo familiaritatem admitti meretur servus ille, qui lubens se aliquando ejus conspectu privat, quò laboret, eique serviat. Alioqui enim continget charitatem otiosam destitui notitiâ ejus quod facere debet; eumque, qui, dum lucem habet, non ambulat, luce, dum ambulare volet, privari, et tenebris involvi.

Notandum secundo, Quòd etiamsi Deus Dominus noster totius mundi om-

niumque creaturarum motibus et operationibus, pro singularum et cujusque conditione et necessitate, invigilat, non tamen à parte rei eum illa cura et labor distrahat aut fatiget; quia semper in se et secum manet, semperque in suæ quietis centro pacate quiescit: sic etiam homo, qui hunc amoris gradum consecutus est, ita operari debet, ut à se non exeat, sed, in se semper manens, sibi invigilet, et operibus suis ita se accommodet, ut ab iis se abripi non sinat; sit suarum actionum suique ipsius dominus, ut verè in libertatem filiorum Dei transisse, dici possit. Hoc consequetur, si sibi et Deo bene unitus, occupationum suarum varietatem ad unum solum finem reducat; unumque tantùm in iis intendat et quærat, aliaque omnia tanquam accessoria et parvi momenti reputet. Id autem, in quod collimare debet, est, summè divinæ bonitati placere; eique, tanquam regulæ, et omnis, quod à nobis est, boni origini, se conformare.

Punctum quartum.

Notandum hîc primo, Quòd materia Meditationis in hoc quarto amoris gradu sint omnes perfectiones divinæ; in quo

magnus nobis Meditationum campus detegitur, magnaque incentiva amoris : item aperitur via perveniendi ad notitiam divinarum perfectionum, per vestigia perfectionum quas in rebus creatis animadvertimus, et hoc est quod dicit, *Prospicere quo pacto munera et bona omnia cœlitus descendunt, ut sunt potentiæ, justitia, bonitas, scientia, et alia quælibet humana perfectio.* Illas enim perfectiones eo modo creaturis communicat, ut iis non spolietur; et ita eas distribuit, ut omnes in se servet; easque simplicissimâ perfectione, quæ est omnium bonorum scaturigo, in se unit.

NOTANDUM SECUNDO, Quomodo in meipsum reflecti debeam in hac divinarum perfectionum consideratione; Primò, *exuendo me, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferam, eum in omnibus creaturis amando (quandoquidem in illis vestigia divinæ pulchritudinis se prodant) et omnes in eo, juxta sanctissimam et divinam ipsius voluntatem;* ut dicit sanctus Pater noster in P. 3. Constit. c. 1. §. 26. Et meritò, quia omnes creaturarum perfectiones longè perfectiore gradu in Deo inveniuntur : nam, ut dicit Sap. cap. 13. *Quorum si specie delectati, deos putaverunt; sciant quantò his dominator eorum*

speciosior est : speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis : à magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.

Secundò, non tantùm me debeo amore creaturarum exuere, sed etiam mei ipsius, ut in Deum transferam, à quo totum meum esse meaque perfectio dependet, tanquam à sole radii et à fonte aquæ derivantur. Sicut enim radiorum conservatio à sole, et aquæ fluxus à fonte potiùs quàm à seipsis dependet ; sic bonum hominis à Deo potiùs quàm ab ipsomet homine. Deus enim fons est perennis illius existentiæ et omnis boni. Et hinc fit, ut homo, sibi suisque viribus tantùm innixus, facilè cadat ; et se amando animam suam perdat, et se odiendo eam inveniat, ut in Evangelio. *Qui amat animam suam, perdet eam ; et qui odit animam suam in hoc mundo, inveniet eam.* Hinc sequitur, quòd quis se non debeat considerare velut rem suam aut alterius alicujus, sed Dei ; à quo in suo esse spirituali et corporali, tanquam ab omnium perfectionum et existentiæ infinitæ Dei pelago, dependet. Atque hinc nascitur libertas spiritûs, quâ totis intentionis suæ amorisque viribus ad Deum

evolet. Cui enim potiùs servias, et placere studeas, quàm ei, in quo omnium creaturarum perfectiones infinitis gradibus nobiliores reperias? Cùm jam quis ad hunc statum pervenerit, quantumcunque varia sint ejus opera, finis tamen quem sibi proponit, unus idemque est; eumque semper consequitur, si creaturis omnibus, tanquam si non essent, oculos occludendo, aliud non quærat, quàm divinæ Majestati propter seipsam placere. Contingere enim potest, ut singulorum operum fines considerando, actiones nostræ diversos subeant status: aliquando enim erunt in principio, aliquando in medio, aliquandò in fine, et frequenter, propter varia quæ occurrunt impedimenta, finem non consequuntur; verùm, si consideremus intentionem ejus qui operatur, deprehendemus, nunquam à fine suo aberrare. Quia in quocunque statu opus illud fuerit, is qui eâ intentione operatur, semper finem consequitur, qui est, Deo in suis operibus placere: quare nullus successus aut contradictio impedire potest, quin finem suum consequatur. Ideò multum est eò pervenisse, ut clarè quis intelligat, quomodo munera et data optima de sursum sint; et quòd ibidem sint infinita potentia, bonitas,

sapientia, misericordia et omnis pulchritudo, unde istæ proprietates derivantur, quas tam limitatè videmus creaturis communicatas. Multum etiam est, solem per radios suos deprehendisse, et per rivulum ad fontem pervenisse, et centrum, in quo tanta creatarum perfectionum varietas se jungit et unit, invenisse : ibi enim amor noster quiescet, nec ad aliud quærendum se movebit. Et hoc est Deum totâ mente, et ex totâ animâ omnibusque viribus amare. Quia verò, qui ad hunc statum perveniunt, de aliâ re solliciti non sunt, quàm ut Dei in terris voluntatem faciant, sicut ea fit in cœlis; ideo alio non tenentur desiderio, quàm ut, terrâ hac desertâ, cœlos petant, quò emendent quod in mandatorum Dei observatione eis defuit; nec ulla bona temporalia ita illis cordi sunt, quin illa facilè, si Deo ita visum fuerit, sint deserturi : nullaque eos hîc ita detinent negotia, quin similes sint servis, qui, cùm venerit dominus, et pulsaverit januam, confestim aperiant ei.

Præter hos quatuor amoris gradus, quid aliud restat, quàm ut amor ille non sit delicatus, sed robustus; non effeminatus, sed fortis et virilis; qui quodvis pondus ferre, quasvis difficultates

superare, et quodvis etiam damnum contemnere possit, potiùs quàm ut hoc se amore privet leges transgrediatur, aut Dominum Deum suum in minimâ etiam re offendat. Cantic. 8. *Fortis est ut mors dilectio.* Nec ab eâ morte fugiat, eique terga vertat; et sic eam vincet, si propter amorem eam ferat. Flamma ejus ita in altum feratur, tantaque sit, ut si multæ in illam aquæ et abundantes tribulationum defluant rivi, ei sint instar roris qui in fornacem delabitur, et ab eâ absorbetur et consumitur, eamque magis accendit: ita sibi suisque rebus invigilet, ut si omnia ei mundi bona offerantur, quò hoc se amore exuat, omnia potiùs pedibus subjiciat, et tanquam si nullius forent pretii, contemnat.

Hujus charitatis fructus sunt, addictum esse paupertati, famem, nuditatem, frigus et laborem, quæ paupertatis asseclæ sunt, lubenti animo tolerare, injurias et morbos patienter ferre, persecutionibus non dejici, in tentationibus animum non despondere, infirmitatibus proximi compati, ejusque imperfectionibus aut ingratitudine non offendi, in ariditatibus spiritualibus constanti animo Exercitiis spiritualibus insistere, in consolatione sui non oblivisci, ut tandem

cum Apostolo dicere possit, Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in* CHRISTO JESU *Domino nostro.* In quæ verba S. August. dicit: *Nemo poterit nos separare à charitate Dei, etiam mortem minando; quia Deum non amare, vera mors est: nec vitam promittendo; quia eum amare, vita est. Nec Angeli nos separabunt; quia uniti cum Deo Angelis fortiores sumus. Nec Virtutes, quæ in hunc mundum potestatem habent: quia Deum amando, mundo superiores sumus. Non molestiæ præsentes; quia Dei amor eas leviores facit. Non spes futurorum; quia qui Deum amant, jam omnia possident præsentia. Non altum, nec profundum. Quid enim potest mihi cœlum offerre, ut eum deseram qui ipsum condidit cœlum? et quid mihi potest minari infernus, quo amorem Dei deseram; quem si non deseruissem, quid infernus est ignorarem?* Hæc omnia sunt S. Augustini.

DE DEVOTIONE

ERGA B. VIRGINEM.

Restat ut aliquid dicamus de devotione erga beatissimam Virginem Dominam nostram. Exercitium illud est non tantùm suave et gratum, sedet valdè utile. Nec aliud in hac materiâ tractabimus, quàm quòd ad istius Exercitii substantiam spectat; hoc est, in quo consistat ea devotio, et quâ ad eam viâ perveniamus, et quis in eâ proficiendi sit modus : hæcque omnia, quatenus ex libello hoc Exercitiorum ea colligere poterimus.

Sanctus Pater noster à sanctissimâ Virgine, ab ipso suæ conversionis initio, multis fuit beneficiis affectus; eò quòd se illi videndam præbuerit, animarit, ac eum confirmarit in castitatis suæ proposito : hinc ille vicissim, in grati animi signum, ante ejus Altare et imaginem in monte Serrato vestes suas sæculares cum sacco commutavit ; totam coram eadem ejus imagine noctem insomnem ducendo,

gladium et pugionem, quibus primis suæ vanitatis annis usus fuerat, anathema perpetuum devotionis suæ erga Virginem, suspendendo. Ab his initiis devotio hæc erga sacratissimam hanc Virginem ita in eo aucta est, ut nihil unquam aut grave aut leve aggredi solitus esset, cujus à Virgine ejusque patrocinio promotionem non exspectaret, nihilque à Deo postularet nisì per hujus intercessionem : et ipsa vicissim Virgo eum perpetuis beneficiis auxit, et suis apparitionibus dignata est; ut ex quaternione quodam videre licet, quem ipse manu suâ scriptum reliquit, in quo illustrationes, quibus quotidie fruebatur inter scribendum Constitutiones, annotavit.

Suavissimum hoc et utilissimum devotionis hujus erga B. Virginem Exercitium, quantum nos spectat, in tribus consistit. Primum est, ut sciamus quanti ea facienda sit; secundum, cura et sollicitudo in virtutum ejus imitatione; tertium, fiducia quam de ejus patrocinio concìpimus.

Quod ad PRIMUM attinet : Tantum ea devotionis hujus erga hanc Virginem æstimatio crescet, quantum ejus excellentiæ, privilegiorum, prærogativarum, et inauditarum, quibus Deus erga eam usus est, misericordiarum notitia creverit : quas

nulla unquam creatura cognovit sicut illa; quæ cùm Deo pro illis gratias ageret, eumque magnificaret, nihil aliud scriptum nobis reliquit, quàm quòd fuerint magnæ, dicens : *Fecit mihi magna qui potens est.* Porrò modus, quem in eis investigandis observare debemus, est, per excellentias privilegiaque aliorum Sanctorum discurrere, sibique certò persuadere, eadem multo perfectiore nobilioreque gradu in Virgine fuisse collecta. Ut autem intelligamus rem sic se habere, sufficit esse ratione præditum, et intellectu uti; id quod S. P. noster ponderavit in Meditatione de Resurrectione illis verbis : *Primùm apparuit Dominus Matri suæ postquam resurrexit; cùm dicat Scriptura, quòd apparuit multis. Licèt enim nominatim illam non exprimat, id nobis tamen relinquit pro certo tanquam intellectum habentibus; ne alioqui jure audiamus illud*: *Adhuc et vos sinè intellectu estis?*

Quod ad SECUNDUM attinet : Desiderium imitationis oritur ex rei æstimatione et amore. Semper enim optamus possidere id quod magni facimus, et rei amatæ nos similes reddere : ii ergo qui Virginem hanc amant, omnino se ei assimilare volunt; et qui eam æstimant, ex eâ discere gestiunt. Hinc sanctus Ambrosius libro 1. de

Virgin. *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaque* B. MARIÆ, *de quâ, velut in speculo, refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisterio expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendant. Primus discendi ardor, nobilitas est Magistri. Quid nobilius Dei Matre?* etc.

Hoc imitationis Exercitium duobus modis fieri potest. Primò, in omnibus mysteriis vitæ et mortis CHRISTI Domini Salvatoris nostri, peculiariter oculos in hanc Virginem conjiciendo: in eo nempe quod dixit, quod fecit, quomodo se humiliet, quomodo gratias agat, qualiter loquatur, quomodo sileat, quomodo ambulet, quomodo operetur; et quæ mysteria in illâ peragantur, etc. et ad omnia illa reflectendo, aliquid pro me fructus colligere studebo. Hujus praxim videre licebit in secundâ Septimanâ, in Exercitio Incarnationis et Nativitatis Domini nostri. In Meditatione de Incarnatione in primo Præludio historiæ statim fit mentio Virginis: *Unde adveniente tempore præstituto, Archangelus Gabriel ad B. Virginem* MARIAM *nuntius destinatur*, etc. et in secundo Præludio: *Deinde ad certam mundi partem*

domuncula spectetur beatæ Virginis, apud Nazareth in Provinciâ Galilææ sita; et in primo Puncto : *Posteà Virginem* MARIAM *cum Angelo eam salutante considerabimur, aliquid inde semper ad nos reflectendo;* et in secundo Puncto : *Virgo et Angelus in cellulâ de Incarnationis mysterio tractantes, et reflexione seu applicatione quadam ad meipsum factâ, studebo ex singulis nonnihil fructus decerpere;* et in tertio Puncto : *Quomodo item suâ Angelus legatione fungatur, et beata Virgo humillimè se gerens divinæ gratias agat Majestati : ex quibus ad nos ipsos reflexis fructus obiter est legendus.* Et hoc sufficit quoad exemplum : idem enim servatur in Meditatione de Nativitate; et, ut ibi notatur, eadem servanda in aliis Meditationibus de Vitâ, Morte et Resurrectione Salvatoris nostri.

Secundus Exercitii modus, et facilior multò ad beatæ Virginis imitationem, est, ut cùm quis eam in sensuum exteriorum et potentiarum usu vult imitari, in Oratione præparatoriâ se ei commendet, quò à Filio eam gratiam impetret. Post hanc Orationem, per omnes sensus et potentias, per omnes vitæ humanæ actiones, quales sunt comedere, bibere, dormire, ambulare, loqui, et cum hominibus con-

versari, legere, orare, et cum Deo agere, etc. consideratè discurrat, attenteque observet, quomodo B. Virgo in iis se actionibus gesserit, et quomodo eâ potentiâ iisque sensibus usa fuerit; in seipsum reflexione factâ, quò videat, quomodo prototypon illud imitari possit : et se sollicitè examinet, ut, in quo erraverit, et ab eo recesserit, clarè videre possit. Hinc statim erratorum veniam petat, proponatque emendationem, reddendo se, quàm maximè poterit, similem tam perfecto exemplari. Tandem etiam à CHRISTO Domino nostro eam gratiam petat, Virginisque patrocinium imploret, et dicat, *Ave Maria.* Hoc est Exercitium, cujus praxim nobis unicè commendavit S. Pater noster in primo orandi modo, qui in quartâ Septimanâ ponitur, his verbis : *Quòd si quis optet B. Virginis* MARIÆ *imitationem, in oratione præparatoriâ ei se commendet tanquam à Filio id impetraturæ; et Salutationem Angelicam cùm sensus excutit, identidem recitet.* His et similibus Exercitiis plurimum quis in hac beatæ Virginis imitatione proficiet.

Et nota, quòd sicut ad hanc Virginis æstimationem juvat non solùm excellentiæ, verùm etiam virtutum ejus consideratio : sic etiam ad imitationem utrumque mul-

tum conferet; virtutes nempe, ut eas imitemur; et excellentia ac nobilitas, ut ad desiderium eam imitandi excitemur.

Sequitur TERTIUM, Magni facere intercessionem B. Virginis, ut quævis à Deo Domino nostro quis per eam impetret: quod eò plerumque ferventiùs fieri solet, quò cum æstimatione et imitatione plus crescit amor, quæ utraque fiduciam generant, quam quotidiana potestatis, quâ apud Deum virgo valet, et gratiarum, quæ per ipsam obtinentur, experientia multùm auget. Porrò sicut ii, quibus in Principis alicujus Aulâ negotia tractanda sunt, primam curam in eo ponunt, ut sciant qui apud Principem illum plurimùm gratiâ et auctoritate valent, vel qui sint præfecti officiis ac administris, qui negotia ea expedire debent; sic in negotio illo, e prætensione et lite, quæ in Aulâ CHRISTI discutitur, et in quâ de ultimo fine nostro agitur, propter quem creati sumus, et de omnibus quæ ad eum consequendum nos juvare possunt mediis; expedit multumque refert scire, quibus apud Deum opus sit mediatoribus et patronis, per quos voti fiamus compotes.

Quanquam autem Sanctorum intercessionibus nihil detractum velim; certum tamen est, quòd unicus apud Patrem Me-

diator sit ejus Filius Jesus Christus Dominus noster, et apud Filium Mediatrix nostra sit B. Virgo Domina nostra : quos S. Pater noster vocare solet Mediatores, signanter verò in quodam, quem propriâ scripsit manu, Commentariolo, in quo peculiares à Deo sibi concessas gratias et illustrationes totis quadraginta illis diebus, quibus Constitutiones conscripsit, notavit, quando dicit (repetit autem hoc frequenter) venisse Mediatores ; ac si diceret, se à Christo et ejus benedictâ Matre visitatum fuisse.

Praxis hujus Exercitii proprié consistit in Colloquiis, quando aliquid petimus. Omnis enim petitio, si eam Dei oculis gratam esse velimus, ejusque optatam desideremus expeditionem, æterno Patri per Filium, Filio verò per Matrem offerenda est, sicque fient tria Colloquia. Primum, ad Virginem Dominam nostram, quò nobis eam, quam petimus, à Filio gratiam impetret. Secundum, ad Filium Salvatorem et Mediatorem nostrum, ut idem nobis ab æterno Patre obtineat. Tertium, ad æternum Patrem, ut per Filii sui merita Matrisque intercessionem nobis idem concedat. Praxis hæc servanda est in omnibus quatuor Septimanis à conversionis initio usque ad perfectionis finem; ut omnis generis gratias in nostris neces-

sitatibus et remedia consequamur : semper enim in omnibus necessitatibus, occasionibus, et negotiis Virginem eam Matrem Mediatricemque agnoscere debemus.

Cùm autem finis viæ purgativæ, fructusque primæ Hebdomadæ et Exercitii incipientium consistat, primò, in odio peccatorum; secundò, in eorum emendatione; tertiò, in omnium occasionum sublatione, ut aliàs dictum est; hæc omnia per intercessionem Virginis petenda sunt, ut videre est in primo Colloquio repetitionis primæ Hebdomadæ, ubi sic habetur : *Colloquium primum fit ad Dominam nostram* CHRISTI *Matrem, flagitando intercessionem ejus apud Filium, et gratiæ impetrationem nobis tripliciter necessariæ : Primò, ut internam criminum nostrorum cognitionem ac detestationem sentiamus. Secundò, ut operum nostrorum agnoscentes abhorrentesque ordinem perversum, correcto eo, nosmetipsos secundùm Deum rectè ordinemus. Tertiò, ut, perspectâ et damnatâ mundi pravitate, à rebus mundanis ac vanis nos retrahamus. His expletis, semel recitetur Ave Maria.*

Sequitur status Proficientium qui sub CHRISTI Domini signis militant, et diaboli tentationes insidiasque eludere conantur; qui, sibi ipsis renuntiantes, crucem cum Salvatore ferunt, seque in veris solidisque

virtutibus exercent ; qui honores, et quas mundus dare potest divitias, earumque affectum contemnentes, illud tantùm, quod ad majus Dei obsequium majoremque ejus gloriam existimant futurum, eligunt. Hos omnes perfectionis gradus, qui ad secundam Hebdomadem viamque illuminativam pertinent, suntque proprii Proficientium, à beatissimâ Virgine petere, ejusque patrocinio impetrare debemus ; ut ex primo Colloquio Exercitii de duobus vexillis constat. *Colloquium posteà formandum erit ad Virginem beatam, implorandaque est per eam à Filio gratia, ut recipi possim et manere sub vexillo, idque primùm per spiritualem tantùm paupertatem, aut etiam in rerum exspoliatione sitam (si quidem ad eam me vocare atque admittere dignabitur) deinde per abjectionem quoque seu ignominiam, ut ipsum initer viciniùs, deprecando tamen culpam aliorum, ne contemptus mei tam in alicujus detrimentum quàm in offensam Dei cedat. Terminabitur primum hoc Colloquium per Ave Maria.* Idem servandum in Meditatione de Passione Domini, quando materia, aut devotio, et affectus ad hoc excitabit, faciendo tria Colloquia, unum ad Matrem, aliud ad Filium, tertium ad Patrem, eodem quo suprà dictum est modo. Idem quoque servabunt qui in quartâ

Hebdomade meditantur, unico Meditationes eas Colloquio concludendo, aut pluribus, pro subjectâ materiâ, ut bene in suo Exercitiorum Libello notat S. Pater noster.

Hanc erga sacratissimam Virginem devotionem multùm promovent orationes vocales, et variæ in hunc finem institutæ devotiones : inter quas maximè frequentes et præcipuæ sunt, Horæ de Dominâ, et Rosarium. Et certum est, quòd licèt S. Pater noster in Societatis initiis liberum cuique reliquerit horam Orationis matutinam, vel mentali vel vocali Orationi impendere ; Horas tamen tum B. Virginis eâ horâ Studiosis nostris, et Fratribus nostris Coadjutoribus, qui legere nesciunt, Rosarium ejusdem præscripsit, seriò commendans, ut qui Rosarium legunt, bene in eorum Mysteriorum Meditatione instruantur, quò illud majori cum devotione et fructu percurrant. Mirum quantoperè S. Pater noster hanc Virginis devotionem cordi habuerit, eamque nobis, ut in eâ nos exerceremus, commendarit. In 4. Part. Constit. cap. 4. §. 3. dicit : *Præter Sacramenta Confessionis ac Communionis, ad quæ octavo quoque die accedendum erit, et præter Missam, quam quotidie audient, horam unam impendent recitando beatissimæ Virginis Officio, ac examinandis bis quotidie suis conscientiis*, etc.

Et infrà : *Aliqui, cujusmodi esse possent Coadjutores illi qui legere non didicerunt, præter Missam, horam etiam unam recitando Rosario vel Coronæ beatæ* MARIÆ *Virginis cum duplici examine quotidiano*, etc. *impendent.* Et in declaratione litterâ C. sic dicitur : *Quod ad Coronam vel Rosarium attinet, doceantur, quomodo cogitare vel meditari mysteria, quæ in eo continentur, possint ; quò majori cum attentione et devotione se in eo exercere valeant.*

Et seriò notandum, quòd si intercessionis hujus sacratissimæ Virginis optatum velimus consequi effectum, valdè nobis sit invigilandum, ne ei obicem aut impedimentum per nostra peccata aliquod injiciamus; sed potiùs nos disponamus, quò Dei misericordiam in perfectâ mandatorum ejus observatione consequamur. Hinc enim factum est, quod eadem Domina, cum apud Filium intercederet in nuptiis dicendo, *Vinum non habent;* illicò ministros disposuerit, monendo : *Quodcunque dixerit vobis, facite.* De iis qui hoc modo erga hanc beatissimam Virginem sunt affecti, verè dici potest illud Prov. 8. *Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino.*

INSTRUCTIONES, ET DOCUMENTA

SERVANDA POST EXERCITIA.

In spiritûs profectu nunquam contenti simus mediocritate, sed in id quod perfectissimum est semper oculos conjiciamus : vix enim in infimo subsistet, qui ad medium tantùm adspirat. Multi retrocedunt, ibique se deprehendunt, ubi minimè cogitabant, eò quòd non eò collimarint quò debebant : à torrente enim abripiuntur, quia adverso pergere flumine non conantur. Ut autem ex discursu omnium quatuor Hebdomadum clarè patet, S. Pater noster non tantùm à nobis postulat ferventem passionum nostrarum mortificationem, et contra amorem illum sensualem et mundanum bellum perpetuum, et, ad imitationem crucis Christi, solidarum robustarumque virtutum exercitium, verùm etiam intimam, per contemplationem et amorem cum Deo, unitionem, sanctissimam ejus in suâ præsentiâ cum perseverantiâ voluntatem explendo, omnia-

que ad eum, tanquam ad ultimum nostrum finem dirigendo. Quisque hîc consideret, quantum sibi desit ad profectionem hanc suscipiendam : hoc enim eum in suo itinere continebit, ne aberret, facietque ut gressum acceleret, ne mors eum occupet antequam cursum absolvat, et, clausâ jam januâ, frustrà clamare cogatur.

Porrò prima cura sit, ut bonam habeat temporis rationem, memor, nihil eo esse pretiosius; tum propter ea quæ in illo ad majus Dei obsequium, proximi bonum, nostrumque profectum fieri possunt : tum quia per levem aliquam negligentiam facilè perditur, utpote semper labens, ac nunquam otiosum. Perdere autem tempus perinde est, atque usum aliquem vitæ aut talentorum aut potentiarum perdere. Quæ quò nobiliora sunt, eò magìs reprehensibilis est jactura temporis : horæ enim unius pretium non est idem respectu ejus qui multùm facere, et illius qui parum præstare potest. Ad hæc, volat irrevocabile tempus, ejusque jactura est irrecuperabilis : nam totum id quod cras fieri potest, diei crastino debetur, quo fit ut hodierni diei detrimentum reparari non possit.

Ut autem bene utiliterque tempus impendatur, juvabunt,

Primò, Attendere tempori præsenti, et de præterito se plus æquo non affligere, nec nimiùm de futuro esse sollicitum : si enim præsens bene impendatur, præteritum non oberit, et de futuro bene sperandum erit. Nec meliori quis fræno præteritum futurumque tempus dirigere poterit, quàm si præsens bene impenderit.

Secundò, Cogitare hodiernum diem, primum meæ conversionis, et vitæ meæ diem esse postremum ; quo mihi tanquam magna aggressuro animos addam, et sollicitus sim, tanquam rationem redditurus. Et sufficit diei malitia sua : frustrà enim me vexat, sollicitumque reddit, quod nunquam fortè eveniet.

Tertiò, Facere exactam quamdam temporis distributionem, rerumque quæ singulis diei horis mihi agendæ sunt : hæc enim distributio maximi momenti est, tum ne tempus perdamus ; tum ut passiones nostras mortificemus, quæ nos tanquam cæcos abripiunt ; tum ad bonam cordis compositionem et recollectionem, quod ita certis ac ordine dispositis occupationibus alligatur ; tum ut facile nobis reddat conscientiæ examen. Quando enim

suis omnia locis sunt digesta, facillimè quod quæritur, invenitur.

Operibus quæ mihi quotidie facienda sunt sic jam constitutis, utile erit, electionum usu ea perficere; in singulis eorum considerando, quomodo optimè, ad Dei gloriam nostrumque spiritualem profectum, fieri possint.

In illâ distributione primum semper locum habeant Exercitia spiritualia, orationes, examina, lectio spiritualis : quæ omnia comitetur ordinaria aliqua mortificatio et pœnitentia, quod animos valdè excitat, et ad devotionem disponit.

Et nota, quòd hæc Exercitia parum grata sunt, maximè iis qui multis distrahuntur occupationibus : quare magìs sollicitos eos esse oportet, quò strenuè ea contra occupationes tueantur, quæ totum sibi tempus volunt vindicare, quod Exercitiis spiritualibus dandum est. In hoc orationis Exercitio trium debet haberi ratio.

Primum horum est, ut materia conveniens præparetur : illius enim defectu, multarum horarum plerumque fit jactura.

Secundum est, Non recedendum ab iis instructionibus, regulis, additionibus, orandique modo, quæ in Exercitiis præscribuntur.

Tertium est, Sensa illa, affectus bonos, sententias et conclusiones, quæ nobis in iisdem Exercitiis tanquam gradus ad majorem perfectionem proponuntur, in se excitare.

Ut hoc quis assequatur, primò et ante omnia, ultimum, propter quem creatus est, finem, quique omnium nostrarum actionum regula et norma esse debet, sibi objiciat, et consequenter super hoc se examinet : hunc usum examinum nullo unquam tempore omittat. Quemadmodum enim faber qui murum aliquem aut parietem excitat, semper ad manum habet perpendiculum et amussim, continuò iis utitur; eò quòd alioquin imperceptibiliter soleat murus à normâ deficere, et ita ruinæ periculum tota fabrica subire : sic Religiosus, omnisque Christianus, semper, ultimo sibi fine ob oculos posito, debet identidem suas actiones excutere; quod perinde est, atque eas ultimo suo fini tanquam perpendiculo conformare.

Fructus primæ Septimanæ (qui est dolor de peccatis) quotidie in conscientiæ examine renovari debet. Quando enim pacata est conscientia, faciliùs ad dolorem, consideratis peccati turpitudine, Dei Majestate, et nominibus quibus ei obligamur, excitatur; de quibus actum in primâ Me-

ditatione de peccatis : quando verò inquieta est conscientia, peccatis gravata, et variis molestisque tentationibus agitata, timore faciliùs movebitur ; de quo in secundâ Meditatione de peccatorum pœnis agitur.

In secundâ Hebdomade conjiciendi oculi in bona proposita et decreta, quæ in quatuor Exercitiis, de Regno Christi, de duobus vexillis, de tribus hominum classibus, et de tribus Humilitatis gradibus quæruntur; firmum nempe propositum imitandi Christum Dominum nostrum, eumque sequendi in affectu et amore paupertatis, ignominiæ et infamiæ, nec solùm affectu, verùm etiam re ipsâ experiendo paupertatem, infamiam et contemptum, quando id ad majorem Dei foret gloriam : nec tunc solùm, sed etiam quando utrinque par foret Dei gloria, contemptum illum potiùs et paupertatem amplectendo, quò ei magìs assimilari queam. Illi enim sunt quasi nervi et anima omnium Meditationum de vitâ et doctrinâ Salvatoris nostri. Cùm animus pacatus est, et à perturbationibus liber viam virtutis perambulat ; tum Meditationes istæ ad majorem Jesu notitiam, æstimationem et amorem, dirigi debent, cum desiderio imitandi ejus virtutes, quæ maximè in iis Meditationibus,

et peculiariter circa paupertatem et opprobria, elucent : animus verò cùm inquietus est, vel aliquâ difficultate temporali turbatur, vel etiam motibus humilitati repugnantibus, sensibusque et querimoniis humiliationi adversis ; multùm proderunt, quò serenetur, crucique se subjiciat, quatuor illæ supradictæ Meditationes, quarum tum etiam vim et efficaciam meliùs percipiet : quia ubi vulnus est, ibi dolorem affert medicina.

Meditationes de Passione Domini abundantissimam nutrimenti spiritualis materiam suppeditant pro totius anni, imò totius vitæ tempore, quando ad ea tam fertilia pascua nobis aditum dare dignabitur Dominus : verùm is qui in eâ se exercet, non sibi satisfactum credat, si ad animi teneritudinem et compassionem moveatur ; sed in se imitationis tam solidarum perfectarumque virtutum, quæ in eâ resplendent, desiderium excitare, bonaque illa proposita abnegationis, amoris proprii et mundani, quæ aliquando severit, conservare studeat, et difficultates, contradictiones, afflictionesque suas cum Christi Domini comparet, et videbit, quàm procul adhuc ab iis absit. Qui hoc modo in peccatorum suorum dolore, sensuum et passionum suarum mortifica-

tione, humanarumque omnium consolationum exspoliatione se seriò exercuerint, in quartâ Septimanâ spirituali illo gaudio fruentur, et rore cœlesti velut terra arida inebriabuntur. Psalm. 76. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum.*

Et hoc est securum beneque fundatum spiritûs iter, hæ semitæ, per quas ad unionem cum Deo pervenitur; peccatorum nempe dolor, divinæ justitiæ timor, corporis castigatio, sensuum passionumque mortificatio, propositum et resolutio Christi Domini nostri exempla imitandi, ipsius crucis, nuditatis, paupertatis, ignominiæ, opprobriorumque amor, patientia et conformitas, quando se ea patiendi offert occasio; nihil petere, ad nihil se determinare, nisì ad majorem Dei gloriam atque obsequium. Hæc est regia Crucis via, quæ ad spirituales nos consolationes disponit, et aliquid æternæ gloriæ dulcedinis nobis in hoc exilio gustandum affert: hæc regula est, ad quam spiritualia sensa et affectus, num à bono vel malo spiritu proveniant, examinantur. Quia, exempli gratiâ, qui Romam ire desiderat, potest vel pedes, vel eques, vel terrâ, vel mari, et, si Deus volet, etiam per aërem volando, illud iter peragere: semper tamen

idem quodammodò est iter, et quomodocunque illud demum instituat, non expedit ab eo deflectere : sic etiam spirituale illud iter semper idem est, quod ex hisce exsurgit passibus, propositis nimirum et axiomatis jam dictis, et eorum executione. Aliquando proficiscitur quis cum gaudio, aliàs absque eo; velut is qui pedes nec sine labore ambulat. Aliàs devotionis sensus est major, aliàs minor; uti et affectus spirituales et divinæ illustrationes variæ sunt, et aliquando tam sublimes, tam extraordinariæ et supernaturales, ut aliquem quasi volare faciant : sed valdè notandum, quò quem moveant. Si enim augeantur in nobis bona, de quibus jam facta est mentio, proposita; facilioremque quis in se percipiat eorum exsecutionem, et promptiorem ad virtutum exercitia et crucis Domini imitationem se sentiat, signum est, quòd bonam quis viam ineat : quantò verò pacatiùs ac compendiosiùs incedit, tantò meliùs : si verò affectus, quos ipse spirituales putat, eum à dictâ viâ abducant, tepidioremque reddant, hostis eas esse illusiones existimet. Quid enim volare juvabit, si etiam volando à viâ recedit, et festinatò finem, quem persequitur, fugit? Hinc ex iis, quas S. Pater noster docuit, Regulis et instruc-

tionibus poterunt Patres spirituales de quibuscunque sensis, quantumcunque extraordinariis, licèt ipsi in seipsis earum experientiam non habeant, judicium ferre.

Tandem sollicitè curandum in ministeriis nostris ordinariis, ne affectum vel ipsi occupationi, vel bono ejus successui, aut personis, quibuscum agimus, inordinatè affigamus. Ministeria enim spiritualia ità affectibus humanis conspersa, et quasi violata, omni suo robore, quo prosint proximo, destituuntur; quinimò valent potiùs ad nobis damnum inferendum: irretimus enim nos prætensionibus et procurationibus talis loci, occupationis vel ministerii, et curis doloribusque inutilibus, aut gaudio de successu aut negotiis, distractionibusque à Regulâ nostrâ alienis, quibus ii, quibuscum agimus, nos onerant. Verum quidem est, quòd spiritus Societatis non debeat esse delicatus, sed robustus, et calori et frigori, plateis et foro, omnique loco assuetus, ita ut laboribus omnibus callum obduxisse videatur: sed labores illi familiaritate cum Deo moderandi sunt, ita ut non tam sit communicatio cum hominibus quàm cum Deo; hoc est, ut proximo se impendere, idem sit quod Deo se in proximo impendere, et hujus gratiâ Deum facere quasi parti-

cipem salutis, scientiæ, aliorumque quæ Divina mihi manus impertiit talentorum, uti lex charitatis requirit. Et hunc in finem matutino semper tempore curabo, ut lucem ex divinâ præsentiâ hauriam, quò sciam, quomodo in occupationibus meis me gerere debeam; vespere rursum in Dei me sistam præsentiâ, quò videam, quomodo Deo in iis placere studuerim, omnia ad ipsum, tanquam earum principium et finem, reducendo. Et sic semper fini isti insistens non mutabor, etiamsi mutentur occupationes; nec turbabor varietate successuum, nec aliis etiam negotiis à professione nostrâ alienis irretiri me sinam, at plus semper temporis familiaritati Divinæ quàm humanæ impendam; quandoquidem cum hominibus alia nobis negotia tractanda non sint, quàm ut Deo reconcilientur; mihique certò persuadebo, ut docemur Parte decimâ §. secundo, *quòd ad ultimum et supernaturalem finem consequendum, media illa, quæ cum Deo instrumentum conjungunt ac disponunt, ut à Divinâ manu rectè gubernetur, efficaciora sint, quàm quæ illud disponunt erga homines.*

FINIS.

INDEX

EORUM QUÆ HOC LIBRO CONTINENTUR.

PROLOGUS *ad Patres et Fratres* SOCIETATIS JESU. pag. 7
EXHORTATIO *ad Exercitia facienda.* 17

PRIMUS DIES.

INSTRUCTIO *circa modum orandi.* 29
PRINCIPIUM *et Fundamentum Exercitiorum.* 39
MEDITATIO *circa hoc Fundamentum.* 40
FUNDAMENTUM *et Principium vitæ religiosæ accommodatum.* 46

SECUNDUS DIES.

MODUS *faciendi Examen generale.* 48
INSTRUCTIO *et Declaratio circa Examen.* 49
MEDITATIO *de Peccatis.* 51
PRIMA PARS *hujus Meditationis, de notitiâ sui suorumque defectuum.* 52
SECUNDA PARS *ejusdem, de Dolore peccatorum.* 57
DE PECCATIS VENIALIBUS, *eorumque dolore.* 61

TERTIUS DIES.

DE POENITENTIA EXTERNA, *et corporis castigatione; Additio decima.* 63
DECLARATIO *Additionis decimæ.* 66
MEDITATIO *de peccatorum pœnis.* 71

QUARTUS DIES.

De fine primæ Septimanæ, *et initio secundæ.* pag. 82
Meditatio *de Regno Christi.* 88
Textus *Exercitiorum dictæ Meditationis.* 89
Declaratio *ejusdem Meditationis.* 92
Prima Pars *ejusdem Meditationis.* 92
Secunda Pars *ejusdem Meditationis.* 95

QUINTUS DIES.

De Exercitiis *secundæ Septimanæ.* 103
Meditatio *de duobus Vexillis.* 109
Declaratio *ejusdem Meditationis.* 113
Prima ejus Pars. 116
Secunda Pars. 121

SEXTUS DIES.

Declarantur *reliqua Exercitia secundæ Septimanæ.* 130
Exercitium *de tribus, hominum classibus.* 133
Declaratio *hujus Exercitii.* 135
De tribus gradibus *Humilitatis.* 143
Declaratio *eorumdem graduum.* 144
De duobus modis *Electionis.* 148
Declaratio *dictorum modorum.* 150
Meditatio *prima de Passione Christi.* 152

SEPTIMUS DIES.

De Examine particulari. 158
Declaratio *textûs de eodem Examine.* 160

REGULÆ *quædam ad materiam Examinis particularis eligendam.* pag. 166
MATERIA EXAMINIS *particularis circa defectus.* 167
MATERIA *ejusdem circa Exercitia spiritualia.* 168
MATERIA *ejusdem circa Exercitium virtutum.* 169
MEDITATIO *secunda de Passione Domini.* 172

OCTAVUS DIES.

DE QUARTA HEBDOMADE, *et fine Exercitiorum istius Septimanæ.* 180
MEDITATIO *de præmio et consolatione Justorum.* 185
MEDITATIO *de amore Dei, et Textus hujus Exercitii.* 191
DECLARATIO *ejusdem Exercitii.* 194
DE PRIMO PUNCTO *ejusdem Exercitii, et primo gradu amoris Dei.* 198
DE SECUNDO PUNCTO, *et secundo gradu amoris Dei.* 203
DE TERTIO PUNCTO, *et tertio gradu amoris Dei.* 205
DE QUARTO PUNCTO, *et quarto gradu amoris Dei.* 207
DE DEVOTIONE *erga B. Virginem.* 214
INSTRUCTIONES *et documenta servanda post Exercitia.* 226

FINIS INDICIS.

CENSURA

P. Magistri Fr. Jacobi de Campo, *Ordinis S. Augustini, Qualificatoris supremi Concilii Inquisitionis, et Examinatoris Synodalis Archiepiscopatûs Toletani.*

Mandato V. Celsitudinis vidi Librum, cui titulus est; Exercitia spiritualia S. P. Ignatii, Fundatoris Societatis Jesu, compositum per P. Ludovicum de Palma, ejusdem Societatis; cui videtur Auctor ipse communicasse suum spiritum: et quia continet salutarem et utilem doctrinam, justum mihi videtur, ut detur ei licentia dictum Librum imprimendi. In sancto Philippo, Madriti, 2. Aug. M. DC. XXIV.

Fr. Jac. de Campo.

Cum pietas ad omnia utilis sit, hinc est, quòd ejusdem pietatis et perfectionis promotioni deserviet, si Praxis viæ spiritualis, juxta normam à S. Ignatio traditam, et à R. P. Ludovico de Palma declaratam et elucidatam, lucem videat. Actum 8. Martii, M. DC. XXXIV.

Gaspar Estrix Plebanus et Canonicus Antuerpiensis, Librorum Censor.

060.32
P182
42981

AUTHOR

PALMA, S.J., LUDOVICUS DE

TITLE

Praxis Et Brevis Declaratio Viae Spiritualis.

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	Mohrlz
	~~STORAGE - COSA~~
	JUL 19 '78

NO. 4

42981